DE BRUNONIS I.

ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS

ORTU ET STUDIIS

PRAECIPUISQUE REBUS AB EO GESTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE

IMPETRANDOS D. X. M. IANUARII ANNI MDCCCLXVII

HORA XII PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS SCHULZE

SANGERHUSANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

AUGUSTUS MUELLER, STUD. PH.

P. G. DE MOELLENDORF, STUD. IUR.

HALIS SAXONUM

FORMIS H. GOCHT COTHENENSIS.

VIRO GENEROSISSIMO DOCTISSIMO

ADOLPHO SCHOTTMUELLERO

PHILOSOPHIÆ DOCTORI ET PROFESSORI BEROLINENSI

HASCE QUALESCUNQUE PLAGELLAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

I.

1. Bruno ortus erat ex vetere, nobili, potenti ducum Saxonum, quibus nomen erat Ludolphingis, gente, cuius primae sedes ad Lupiam et Ruram sitae erant, et viri huic stirpi attributi originem habuerunt una et a Widukindo, audaci illo Saxonum principe, et a Carolo Magno. Nullus, ut ait Ruotgerus[1]), in eorum genere ignotus, nullus degener facile reperitur. Princeps vero illius gentis, Egberti pietas et fortitudo, a Carolo Magno, qui, quamquam summo ingenio et summa potentia ornatus, tamen subactos habere et pacatos Saxones nunquam poterat, et bello ab iis non vexari iam satis habebat, populo tam periculoso et feroci dux praefectus erat. Egbertus vel mulierem Carolo Magno affinem uxorem duxit et eius dote, quae iam antea erant bona satis ampla, multo auxit. Opes autem et nomen re vera attulit Ludolphus, Egberti et Idae ex filia nepos, qui prudentia et judicio excellens, quamquam ne violentia quidem semper abstinebat, tantam potentiam adeptus est, ut Ludovicus, rex eorum Francorum, qui orientem versus habitant, unam ex illius filiabus, Liudgardam nomine, eligeret sibi ducendam in matrimonium. Ab Ludolpho duo filii geniti, Bruno et Otto, qui alter primum dux Saxonibus praefuit, deinde in proelio illo atroci, quod anno DCCCLXXX cum Danis factum est, occidit, alter, postquam adolescens apud patrem stipendia fecit, fratre mortuo ducatum suscepit. Ex omnibus iis ducibus, qui Francorum orientem versus habitantium regi parebant, Otto est non solum fortissimus et potentissimus, sed etiam sapientissimus. Tam assidua cura et diligentia civium res administrabat, ut illustri[2]) cognomen ei adderetur, tanta

1) Ruotg. c. II.
2) Rhosvit. gesta Ottonis v. VI magni ducis et venerandi cf. de primordiis Gandersh. v. DVII—DLX.

elucebat justitia, ut ipsos affines, rem iniustam persequentes, auxilio suo exueret, tantopere ei confidebant totius regni principes, ut Ludovico, quem puerum vocant, mortuo summum imperium Ottoni offerre non dubitarent. Ille autem, aetatem praetendens, ut ait Widukindus [3]), onus recusavit. Ex Ottone, matrimonio facto cum Hadviga, Ludovici pii quem vocant nepte, Henricus, qui postea rex est factus ortus est.

Anno DCCCLXXVI Henricus, parentum deliciae, natus est, totusque Saxonum populus gaudebat duce adolescente et sperabat fore ut per illum summa bona sibi contingerent. Ut arbor occulta, inquit Thietmarus [4]), excrevit a puero et ut bonae indolis gradatim enituit tiro sicut flos in vere novo. Magna et decora forma corporis, in quo iam pueri vigebat animus vigil et strenuus, longe eminebat prae sodalibus; corporis robore ille omnes aequabat; in equitum certaminibus victor semper discessit et in venando, id quod omnes mirabantur, saepe quaternis partibus plus ferarum, quam singuli sociorum confecit [5]). Iam puer summam gravitatem praebebat; toto pectore atque corde iis deditus erat, quibuscum amicitia se coniunxerat; nunquam invidebat aliis prosperitatem; homines tristes nunquam non adiuvit solatio, pauperes consilio et opibus, et, quamquam nobiliore loco, quam ceteri natus erat, tamen tanta ad eos qui ei parebant, descendit humilitate, humanitate, comitate, ut omnium animos sibi conciliaret [6]), atque de illo praeclarissime dicit monachus Corbeiensis [7]): „Qui quum primaeva aetate omni genere „virtutum vitam suam ornaret, de die in diem proficiebat prae- „cellenti prudentia et omnium bonorum actuum gloria; nam „maximum ab adolescentia studium erat in glorificando gentem „suam et pacem confirmando in omni potestate.“ Vix iuvenis factus redierat ex bello cum Daleminciis gesto, quod ut faceret pater iuveni, cuius prudentiam et virtutem cognoverat, mandaverat [8]). Qua clade Daleminciis illata Henrici gloria longe extra fines patriae divulgata est.

Primam secum coniunxit Henricus matrimonio Hadburgam, filiam et heredem Erwini comitis, cui et in ipsa Martisburgio urbe et in ea, quae finitima est regione eaque Hasgau vocatur, ampla bona erant. Quod matrimonium Henrico erat summae aegrimoniae. Hadburg enim iam, quo tempore uxor ab Henrico

---

3) Widuk. l. I, c. XVI. Regi autem Ludovico non erat filius omnisque populus Francorum atque Saxonum quaerebat Ottoni diadema inponere regni. Ipse vero quasi iam gravior recusabat imperii onus.

4) L. I, c. II.

5) Widuk. l. I, c. XXXIX.

6) Vit. Math. c. I.

7) Widuk. l. I, c. XVII.

8) Widuk. l. I, c. XVII.

cupita est, in viduarum et monacharum numero erat. Sacerdotes arbitrati hoc matrimonio facto votum, quod monachae solent nuncupare, contemptum esse, improbaverunt, quin Sigismundus, episcopus Halberstadtensis, et Henricum et Hadburgam in ius vocavit et Conradus demum rex, quae inter Henricum et episcopum exarserat discordiam, diiudicavit et pacavit. Quod matrimonium quamquam sacerdotum improbatione non statim dissolutum est, tamen magis magisque ad divortium est depulsum. Nam paullo post Henricus Hadburgam, ex qua iam filium genuerat, ex matrimonio dimisit, quantopere hoc matrimonio peccasset, agnoscens et confitens [9]).

Non multo post Ottoni duci nuntiaverunt Ditrico comiti, uni ex Widukindi posteris, et Rheinhildae filiam esse puberem, Mathildem nomine, pulchritudine excellentem. Haec virgo a patre etiamtunc infans in monasterium Herevordense ducta erat, ubi a monacharum praeside, Mathildi, cuius neptis erat, pietate, litteris artibusque imbueretur. Ubi ab hominum vitaeque strepitu remota Mathildis adoleverat atque et animo et corpore ad virtutem exculta erat. Hanc igitur virginem Otto Henrico filio uxorem cupivit et Thietmarum, quem ex suis habuit familiarissimum, emisit ut de Mathildi et parentibus aliquid exploraret. Qui quum comperenda comperisset, nec quidquam, nisi bona et laudabilia, ad Ottonem retulisset, Henricus ipse cum manu nobilium honestorumque iuvenum Mathildam visurus atque cum ea collocuturus profectus est. Ibi evenit, ut conspiceret virginem in templo psalterio canentem deumque precibus adeuntem. Et cum Henricus puellam nitentem pulchritudine intueretur, amore exarsit nec minus illa iuvenem adamavit. Eodem die Henricus a Ditrico patre, ut matrimonium probaret, assecutus est domumque proposito confecto rediit [10]).

At primum quidem conjugium agritudinis et tristitiae causa Henrico fuerat, hoc alterum, cum Mathilda factum, eo laetiore fortuna effloruit. Deus benignitate et favore coniuges affecit, qui et ipsi ei parere studebant, quo etiam civium amorem sibi conciliaverunt. Nec solum uxoris virtutibus Mathilda domi maritum delectavit, sed etiam, ut Thietmarus [11]) ait, prudentia et consilio saepe in rebus publicis administrandis adiuvit. Quod vero summi momenti fuit, illius praecipue opera factum est,

---

9) Thietm. l. I, c. II, IV, VI.

10) Qui Mathildis vitam descripsit, virginem ita depingit (Vit. Math. c. II et III). „pulchra facie, amabilis in infantia, operibus industria moribus modesta, humilis et larga, et, ut in id aetatis puella, tantis implicanda erat laudibus divina favente clementia, ut nihil esset supra.“ Matri Reinhildae nomen fuisse ex Thietm. l. I, c. VI intelligimus et Vit. Math. c. II, quo loco etiam, qui sint illius maiores, accuratius enarratur, cf. quod Jaffé in Mathildis interpretatione hac de re dixit.

11) Thietm. l. 1, c. VI.

ut sacerdotum amicitiam Henricus sibi reconciliaret et etiam res sacras maiore cura amplecteretur.

Quinque liberi, optima ingenii indole praediti, Henricus ex Mathilda genuit. Otto [12]) ex tribus filiis natu maximus patre etiamtunc duce in lucem editus est. Nonnullis annis post duae deinceps filiae natae sunt; altera, Gerberga [13]), nupsit primum Giselberto, Lotharingorum duci, deinde, primo marito orbata, Ludovico, eorum Francorum, qui orientem versus habitant, regi; altera, Hadviga [14]), Hugoni, Franciae duci, ex quibus parentibus Capetingi, qui postea ad illam potentiam pervenerunt, orti sunt. Henrico, regi rursus filius [15]) natus est, cui idem nomen ac patri inditum, liberorum autem natu minimus partus est, Bruno, de quo hic agimus.

Ducatu longum per tempus et summa cum salute functus Otto, quem illustrem vocant, anno DCCCCXIII pridie Calendas Decembres mortuus est et Henrico cum ea praedia, quae gens sua obtinuerat, tum maxima feudorum, quibus pater praefuerat, pars heriditates obtigerunt, ad quae Conrado rege compluribus proeliis victo etiam nonnullas regni partes in Thuringia sitas et Conrado mortuo regnum ipsum adiecit.

Spectabat et appetebat Henricus ingenii acumine et mentis sagacitate excellens, solum eas res, ad quas re vera pervenire posset, neque unquam temere aut inconsiderate egit. Rerum causas et rationes antequam ad agendum se converteret, diligenter inter se comparabat, neque ullum unquam in ipsa re gerenda periculum a fine proposito eum deterruit; nunquam res difficiles mente perspicere non potuit, sed semper, id quod summa admiratione afficit aequales, vias aperuit, auxilia reperit; quae vero omnium laudum maxima, animi benignitate erigebat oppressos et iustitiam exhibuit vel inimicis. Unus ex summis regibus, qui unquam a mulieribus editi sunt, inquit Thietmarus [16]), est Henricus omnesque homines, quae gessit, narrabunt; et reapse etiam nos auctorem Germanorum regni Henricum appellamus. Nec tamen in majore oblivione iacet nomen Mathildis. Quae pietate et virtutibus etiam nunc elucet inter mulieres, et mo-

---

12) Cf. stemma II natus est ante diem X Calendas Decembres a. DCCCCXII sive DCCCCXIII. Ottonem ducem, quo tempore nepos natus sit, superstitem fuisse, commemorat Rhoswit. de primord. Gandersh. DLIX—DLXIV.

13) Cf. stemma II. Non dubium est, quin illa sit Henrici filia maior et verisimile natam esse iam a. DCCCCIV, quia iam DCCCCXXVIII viro nupsit. Nata autem est Nordhausen (Vit. Math. c. XXII).

14) Cf. stemma II. Henrico etiam alteram filiam fuisse Hadvigam nomine intelligimus ex Glaber hist. l. I c. IV. Cuius nomen miramur, a Widukindo l. I, c. XXXI ubi omnes Henrici liberos enumerat, silentio praetermitti, dicit autem ibi solum esse Henrico etiam filiam alteram Hugoni Franciae duci in matrimonium datam.

15) Cf. stemma II. Henricus natus est Nordhusae patri iam regi (Vit. Math. c. XXII).

16) Thietm. l. I c. XVII.

nasteriis, quae summa commoda nobis intulerunt, perennem sibi condidit memoriam.

---

2. Talibus ortus maioribus et parentibus mirabile esset, si ab eorum virtutibus discessisset filius; nec tamen hoc obiici potest Brunoni; sed, quod ab illis accepit, et obtinuit et auxit. Qui, quo anno et quo loco natus sit, a nullo illius temporis scriptorum traditur, ne a Ruotgero quidem, quem illud scivisse ex verbis capitis XLII coniiciamus. Ibi enim tradit:

„Igitur cum in hoc sanctissimo studio imperator tricesimum „annum regni sui, germanus eius duodecimum ponteficatus sui „ageret, annum nondum nisi vix praelapsus aetatis quadragesi„mum, sanctam Pentecosten simul Coloniae celebrantes . . . . ."

Quae verba mente teneamus, ut certius aliquid de eo, quo Bruno sit natus tempore, reperiamus. Si enim, quo anno regia domus Coloniam convenerit, certe diiudicari poterit, ex eo, quod Ruotgerus tradit, non minus, quo anno ille natus sit, facile apparebit. Atque scimus Ottonem, postquam Jesu Christi ad homines adventum hieme anni DCCCCLXIV Paviae celebraverit, statim ineunte anno[1]) itinere per Curiam facto in Germaniam rediisse. Quo tempore Christiani ieiunia instituunt, Bruno fratrem Augustae Vangionum recepit et festos paschae dies ante diem sextam Calendas Apriles Otto Ingelheimii peregit. Inde Coloniam profectus est, quo etiam Mathildis, regis mater, Otto filius adolescens, Bruno archiepiscopus, Gerberga, Francogallorum regina, cum liberis, multi alii principes et sacerdotes imperatorem salutari venerant[2]). Cuius anni non dubitamus, quin Ruotgerus capite XLII mentionem faciat. Illo tempore[3]) Bruno iam duodecim per annos archiepiscopi, Otto[4]) triginta regis munus obtinuerat. Etiam, quod Ruotgerus[5]) post ipsos hos dies festos Brunonem mortuum esse narrat, quod ante diem quintum Idus Octobres DCCCCLXV factum esse constat, indicio est fratres illo anno convenisse. Cui id solum videtur obstare quod, quamquam inter II et VIII Jul. Ottonem Coloniae versatum esse

---

1) Cont. Regin. a. DCCCCLXV Imperator Paviae natalem domini celebravit et peracta festivitate statim in patriam commeavit: Ante diem tertium Nonas Januarias prope Mediolanum ad sanctum Ambrosium in itinere versabatur. Urk. ad Mur. Antip. III p. LXXI. Cf. Dönniges: Jahrb. d. d. R. S. 104, Anm. 6. Idibus Januariis Curiam et ante diem novum Calendas Martias Augustam Vangionum advenit. Etiam tunc ante diem decimum Calendas Junias Otto cum filio Ingelheimii moratur, indeque Coloniam navi proficiscitur. Cf. Doenniges l. l.

2) Cont. Regin. a. DCCCCLXV.

3) Bruno quum finiretur obsidio Moguntiaci, qua a medio mense Junio DCCCCLIII sexaginta per dies urbem presserant, archiepiscopus in Lotharingos profectus est. Cf. Doenniges l. l. p. XXIV Ruotg. c. XII.

4) Henricus moritur ante diem sextum Nonas Julias, Otto ante diem VI Nonas CMXXXVI rex eligitur.

5) Ruotg. c. XLII.

scimus, tamen Pentecosten ibi celebrasse Ruotgerus tradit, quae dies festa duobus mensibus antea est peracta. Atque Doennis, vir doctus, Ottonem Pentecostes tempore etiamtunc in Francia Germanorum commoratum esse verissime exploravit, ita ut Ruotgerum in hoc tempore definiendo erasse pateat[6]). Anno igitur DCCCCLXV Bruno cum ceteris affinibus Ottonem ex Italia salvum revertisse gaudebat, postquam vitae quadragesimum, archiepiscopatus duodecimum annum peregit. Quod aspicientibus nobis Brunonem DCCCCXXV vel quia is, qui res ab illo gestas descripsit, verbulum „vix" quodammodo videtur efferre, ultimis anni DCCCCXXIV, saltem primis anni DCCCCXXV mensibus natum esse apparet.

Natum autem esse Brunonem anno DCCCCXXV hoc comprobatur etiam altero Ruotgeri loco cap. II, quo dicit: „Natus (Bruno) eo tempore, quo pater eius Henricus rex, gloriosus perdomita barbarorum saevitia, represso etiam intestinae cladis periculo, diruta magno studio reaedificabat, et volentem populum iustitiae frenis tutissima et optatissima pace regebat. Ita nativitatis eius tempus iam quasi futurae bonae voluntatis eius insignia praeferebat."

Ante diem duodevicesimum Calendas Maias Henricus[7]) a Francis Saxonibusque rex factus contra Hungros et Venedos prospere pugnavit. Deinde Burcartum Allemannorum ducem perdomabat, qui Rudolpho Burgundionum rege victo parere nolebat Henrico. Qui antequam arma mota, Henrico se subiecit[8]).

Anno DCCCCXXI ab Henrico Arnulfum[9]) Bavarorum ducem pacari videmus. Ne ille quidem armis Henrico adversari de se impetravit, sed de pace cum rege collocutus aliqua parte opum privatus est.

Etiam Lotharingos Henricus hoc tempore ad regnum redegit. In quibus Reginaro patre DCCCCXVI mortuo Gieselbertus dux factus erat, qui primum contra Carolum, cui calvo cognomen addiderunt, Francorum occidentalium regem, arma movit et, ut ab Henrico, etiamtunc duce, adiuvaretur, optabat. Carolus

---

6) Pentecosten a. DCCCCLXV Idibus Maiis sive postridie Iduum celebraverunt. Quae dies festa ubi ab Ottone peracta sit, certe demonstrari non potest. Quod Sigebertus Gembl. p. DCCCVIII Aquisgranum commemorat, non recte factum esse existimamus (cf. Doenniges pag. CVI adn. X). Quomodo Ruotgerus quamquam solum duobus annis post CMLXV librum conscripsit, in eum errorem inciderit, ex quo ab Ottone Coloniae Pentecosten celebratam esse existimat, intelligi non potest, nisi credimus, eo, quod illae pompae sacris similiter peractae sunt, ad illam sententiam eum pervenisse (cf. Doenniges a. CMLXV).

7) Cf. Waitz, Heinrich I., edit. nov. MDCCCLXIII p. XLIV cum adnotationibus.

8) Quando Henricus expeditionem contra Burchardum susceperit, certe determinari non potest, Giesebrecht tom. I p. CLCCCCIII et CLCCCCIV. Pieler et alii a. CMXX illud factum esse censent. Waitz a. a. o. MDCCCLXIII p. XLVIII altera anni CMIXX parte.

9) Quomodo Arnulfus subactus sit, quamquam Widukindus et Liudprandus inter se dissentiunt, id tamen constat, ut aliquem certe Henrici principatum agnoscat eum coactum esse. Cf. Waitz l. l. p. LIV. LX.

autem, praecipue sacerdotum auxilio, illam Giselberti seditionem oppressit. A Carolo igitur victus Henrico adversatus est, ita ut iam anno DCCCCXXV Lotharingi[10]) subacti Germanis parerent.

Ita igitur usque ad annum DCCCCXXV intestini, cuius Ruotgerus supra mentionem facit, belli periculum ab Henrico erat aversum et depulsum[11]).

Non minus fortem et prudentem Henricus se praebuit contra externos Germanorum hostes. Hungri enim Burcarti et Arnulfi seditionibus permoti anno DCCCCXXIV rursus in eorum fines tanta vi tantoque impetu irruperant, ut Henricus copiarum suarum exiguitatem respiciens proelium committere non auderet; sed in „Werlaon" castellum se recepit et postquam aliquod per tempus obsidium constanter tulit, fortunae favore factum est, ut hostium ducem caperet, a quibus, hoc principis damno adductis, novem annorum inducias impetravit[12]).

Ita pacem adeptus Henricus id solum spectabat, ut malis eorum, quibus imperabat, quantum posset, occurreret et mederetur. Ideo castella munivit et milites in talem ordinem redegit, ut aliqui semper in castris essent, et his praecipue institutis id assecutus est, ut praeter parvas quasdam excursiones et magnum illud proelium DCCCCXXXIII contra Hungros factum, dum mortuus est, imperium haberet quietum[13]).

Quod Koepke[14]) et Jasmundus dicunt, anno DCCCCXXVIII Brunonem natum esse, iam eo refellitur, quod Ruotgerus cap. XLII tradit. Atque ne illud quidem est verisimile Brunonem, quamquam optima ingenii indole praeditum, anno aetatis octavo — anno enim DCCCCXXXVI aulicorum choro adiectus est — iam eo profecisse, ut in Ottonis domo doctissimos ex aequalibus viros superaret, et paucis annis post, summis imperii muneribus praeponeretur. Contra anno DCCCCXXVIII Henricus Gerbergam filiam Giselberto, Lotharingorum duci, uxorem dedit, quod con-

10) Cf. Waitz a. a. o. MDCCCLXIII, p. IL—LIII, LXI—LXII, LXXII—LXXVII, LXXXI—LXXXVI.

11) Henrico Lotharingi nec ipsorum nec alienorum potestatis esse videbantur, sed, quippe qui Franciae orientalis provinciam incolerent, cum suo imperio rursus coniungendi cf. Waitz p. XXCVI cum adnot. prim. huic loco addit.

12) Cf. Waitz l. l. pag. LXX—LXXXI.

13) Cf. Waitz pag. LXXXI. XCVIII—CXV.

14) Cf. Jahrb. d. d. R. Otto I. DCCCCLI, Koepke Exc. VII. Jasmundus in Ruotgeri interpretatione, ad eum, quem supra commemoravimus capitis secundi locum dicit: „Das, was Ruotger von der Geburt Bruno's sagt, passt im Allgemeinen auf die damalige Regierungsperiode Heinrichs eher, als auf das Jahr 928, in welchem Bruno geboren wurde." In quo Jasmundus annal. Colon. Maxim. videtur secutus esse, qui Brunonem CMXXVIII natum esse tradunt. Contra Pieler in eo, quod bene de Brunone explicavit (Progr. Gymnas. Arnsberg. MDCCCL—LI. pag. IV. adn. I) CMXXIV sive CMXXV in lucem editum censet. Etiam Waitz, vir horum temporum tam peritus, quamquam non omni dubitatione carens, Pielero assentit. Cf. Waitz MDCCCLXIII p. CLXIII adn. II et III. Vogel: Rather von Verona und das zehnte Jahrh. tom. I. pag. 157, idem vere CMXXV Brunonem natum esse existimat.

iugium cuius momenti in Brunonis rebus fuerit, paullo post videbimus.

Postquam ita, quo tempore Bruno sit natus, definivimus, quo loco in lucem editus sit, coniectura quidem indicabimus. Ac de illo quidem constat, commoratos esse parentes eius eo tempore in uno ex Saxoniae vel Thuringiae palatiis ut Nordhausen, Altstaedt, Memleben, Goslar, quae ab iis praecipue amabantur.

Quattuor primae aetatis annos deinde Bruno in parentum domo inter consanguineos peregit, ubi, quin Mathildis[15]), ut filius et animo et corpore optime excoleretur, summa cura et diligentia studuerit, non dubitamus.

---

3. Iam priusquam consideremus, quemadmodum Bruno Traiecti sit educatus et eruditus, placet primum explorare, quo humanitatis Germani usque ad id tempus pervenerint. Quo facto si aspexerimus, quantopere illo tempore litterae iacuerint absconditae et incultae, quasi ager quidam vomere longum per tempus privatus, deinde comparaverimus, quanto incremento per illum virum profecerint, quae Brunonis etiam hac in parte virtus fuerit, clarissime elucebit.

Spectantibus nobis mores, qui in domesticis et forensibus rebus exercebantur, Germanos eruditione non caruisse et vacasse, quo tempore Romani in illam regionem pervenerint, apparet. Eos, qui res publicas ex ordine administrant, qui iudicia rite faciunt, qui matrimonia reverentur, rudes et barbaros appellare non licet. Germanorum autem eruditio, quamquam non exculta et expolita, tamen ex ipsorum ingeniis orta erat, et virtute, huius gentis animis insita, vigebat. Quare momento alicunde addito optime amplificari potuit. Quae aliorum populorum artibus intacta futurum fuisse ut rigeret, existimamus; nam leges ex quibus res publicae apud Saxones administrabantur per complura saecula immutata manserant; mixta autem, ut ita dicamus, Graecorum et Romanorum litteris, ut ad eam, qua nunc ornati sumus, humanitate eniteretur, a Deo sapientissime erat provisum. Mores igitur, quibus illis temporibus Germani utebantur, certe fundamenta eius, quasi aedificii sunt, quod nos intuemur et admiramur.

Deinde Germani consuetudine Romanorum, usque eo progressorum longum per tempus sunt usi. Ab illis iam, cum etiamtum armis vexarentur, aliqua belli instrumenta assumpta, sunt imitati; deinceps, cum essent pacati, et iam quae elegantia et grata sibi videbantur, accipiebant, ita, ut Roma capta mo-

15) Vit. Math. c. XXII.

numentis, artificiis, scriptis, omnibus rebus, quae ad vitae cultum pertinent, multo magis quam alii barbari, parcerent, immo vero iam Theoderico magno Gothis imperante inter omnes occidentis populôs litteras paene soli exercerent, et expolita quadam humanitate certe aliquod per tempus florerent.

Porro novi quasi stimuli Germanorum animis sunt admoti eo, quod vera Christianorum doctrina imbuti et ab erroribus, quos antea amplexi erant, liberati sunt. Postquam enim longis, quae a multis illis populis in alias sedes transmigrantibus erant concitata, bellis circa quingentesimum annum finitis Germani ad pacem redierunt, urbes ad Rhenum et Danubium, a Romanis conditae, restitutae sunt et effloruerunt. Animi civium ita quodammodo pacati Christianorum doctrinam sunt edocti et illorum urbes sedes quodammodo factae, unde ad paganos orientem et septentriones versus habitantes praecepta Christiana transferrentur. Bonifacii, a Francorum regibus adiuti opera praecipue factum est, ut templa et monasteria conderentur, et Germani cum pontifice Romano coniungerentur; hic scripta legebantur, dicta litteris mandabantur, quae sunt ludorum initia; illinc Bonifacius aliquoties praeceptores Maguntiacum arcessivit. Ita assecutus est, ut pontifici Romano posset nuntiari etiam eos, qui citra Rhenum incolerent, Germanos doctrinae Christianae se dedisse et non solum sriptorum sacrorum, sed etiam litterarum participes esse.

Postremo, quae a maioribus erant commissa, perfecta et confirmata sunt a Carolo magno. A quo et mores et praecepta Christiana Germanorum animis ita impressa esse, ut quasi insculpta per omnia tempora inhaererent et litteris non solum paucos eosque nobili loco natos sed universam plebem impertitos esse, quis est, quin concedat. Primos quidem regni annos belligerando peregit; necesse enim erat opes comparari et defendi, priusquam otium et litterae colerentur. Quod admirabili modo Carolus est adeptus. Nam et virtute et consilio hostes superavit et deterruit, et summa cum prudentia eam civitatem instituit, in qua sacerdotes non minus liberrime evangelium praedicarent, quam regem, ut ad ea, quae sibi proposuisset, perveniret, diligentissime adiuvarent.

Carolus quum primum in Italia versaretur, intellexerat, quanti momenti ad animum et excolendum et delectandum essent Graecorum et Romanorum litterae, et quantum earum opera Itali praestarent Germanis, quare illas etiam suo populo tradere in animum induxit. Quantopere ille splendore omnes, qui antea in Francis regnaverant, superaverit, quam doctis et quam sapientibus viris schola ab illo condita ornata fuerit, ut academiae nomine non sit indigna; quanta imperatoris diligentia praeceptores

undique sint accessiti, et, ut populum erudirent, permoti; nemo nostrum non animo grato agnoscit et fatetur. Vacabat apud eum Paulinus rebus grammaticis, theologiae et philosophiae Alcuinus, poësi Theodulphus, aliis litterarum partibus Arnus et Leidthartus, historiae Paulus Diaconus; multi alii viri aliis studiis et artibus excellebant; etiam ex Scotis, si quidem monacho St. Gallensi fidem habere licet, homines huc convenerant. Quasi in commune quoddam emporium congerebantur in Caroli sedem quaecunque ab hominibus inveniebantur et excogitabantur. Scripta Graecorum et Romanorum tunc primum ex Italia in Germaniam translata sunt, ex quibus ingenii elegantia manaret. Nova quaedam animi libertas ubique effloruit, ita ut mox non satis haberent veteres magistros legere, sed ipsi imitari auderent. Libri et artificia confecta sunt, quae etiam nos admiramur, eisque ii, qui deinceps fuerunt homines, paria opera nulla effecerunt.

At non solum ea, quae ad litteras et doctrinam attinent, apud Carolum explorabantur, sed etiam ea, quae ad universam hominum vitam emendandam summi sunt momenti, exercebantur. Speculabantur praecipue, quomodo populi mores corrigerentur, et opes augerentur, nec minus iuste illi, qui cum Carolo consuescebant, homines doctos regis ministros appellamus. In eo, qui in praecipua Caroli sede florebat litterarum ludo, id praecipue spectabatur, ut docerentur iuvenes, qui sacerdotes periti populo praeessent; a sacerdotibus enim optime etiam plebem erudiri posse Carolus arbitrabatur. A quibus solis eruditioni imbutis et artium legendi et scribendi participibus non potuit non humanitas ad reliquos quoque tradi et divulgari. Et re vera illi, qui Carolo regnante fuerunt sacerdotes, morum probitate vigentes et dominandi cupiditate abstinentes, quamquam potentes in re publica, tamen non superbi, quamquam docti, tamen non elati, cum de quibus sperari posset fore ut tantum munus efficerent, tum digni, qui ad populum educandum eligerentur, et cognoscuntur et agnoscuntur. Id quidem negari non potest, quod quis non fateatur, sacerdotibus litterarum magistris didicisse homines imprimis, quae ad res sacras pertinent, quamquam omnia alia sicut a posteris expulsa et spreta esse illis viris opprobrio fieri non potest. Legebant enim praecipue Terentii et Horatii libros. Et scripta res profanas tractantia non plane abscondita iacuisse, ex eo cernitur, quam sedulo apud Carolum studuerunt magis veterum opera imitari, quam hominum iustorum vitas perscribere.

Ita per totum Caroli regnum semina quasi novae cuiusdam humanitatis dissita sunt; in Bavaris, Alemannis, Lotharingis, Saxonibus, Thuringis, aliis regni partibus nova in dies instituta

condita sunt, in quibus scripta sacra recitarentur, pueri docerentur, sacerdotes instituerentur, populus erudiretur. Propterea iure dicimus: „Carolus Magnus ex Italia in mediam Europam humanitatem transtulit et ille novi litterarum incrementi auctor existimandus est,“ id quod ii, qui media aetate exeunte praedicaverunt, Carolum artium liberalium sedem Roma Lutetiam Parisiorum transtulisse cognoverunt et affirmaverunt. Quomodo etsi non diutius Germani florebant sapientia et opibus, quam Carolus erat superstes, tamen, quantum roboris et firmitatis in illis monasteriis fuerit, et quanto studio accepta sint, inde apparet, quod ne tantis quidem, quanta insecuta sunt bella, seditiones, stultitiae, tenebrae, funditus sunt eversa. Eorum, quae restabant, postea Otto restituit et posteris amplificanda tradidit.

Ludovicus pius, quamquam ipse a bonis artibus non erat alienus tamen carebat ingenii indole et facultate conservandi regno eam, qua antea insignis fuerat litterarum lucem. Foeda illa, quae in imperatoris gente exarserunt iurgia, regni contra externos populos infirmitas, Danorum, Hungrorum, Venedorum, Normannorum incursiones, nobilium in ipso regno discidia vix vestigia quaedam relinquunt eius qua Carolo imperante gaudemus eruditionis. Si corporibus alendis et defendendis prospicere coacti sumus, otio indulgere non possumus; ita illis temporibus litterarum praeceptores obmutuerunt, neque iniuria noni saeculi exitus, decimi initium inscitiae et immanitatis aetas, aevum aeneum, appellantur. Illo tempore re vera paene nihil aut scriptum aut cantum est, ita ut triste non iniuria appelletur. Quod praecipue percipit rerum scriptor. Cui postquam Carolo Magno imperante annalibus artificiose perscriptis quasi sidus quoddam laete affulsit, et monasteriorum chronicis res accurate sunt enarratae, tunc pauci quidam nuntii afferuntur, aut qui antea uberrime manaverunt fontes tunc nulli manant.

Quod ita a Germanis nihil excogitabatur, et tantum exigua, minuta, ieiuna quaedam fragmenta litteris consignabantur, clarissime declarat, quantopere Germani hac aetate animos ab humanitate abalienaverint, et quantulae vires Caroli regno tunc infuerint. Tunc Saxones ex omnibus iis, quae dilacerati Francorum regni supererant, partibus soli vigorem receperunt et laete effloruerunt. Quos prudenter coactos Ludolphingi fortiter contra hostes duxerunt et victoriam pepererunt. Illi cum propterea, quod suos cives ordine continuerunt, qui Germanis imperarent, dignissimi erant, tum eam ob causam, quod una cum civibus aversi tandem a multorum Deorum cultu veram doctrinam Christianorum et eruditionem illius beneficio comparatam toto pectore atque animo amplexi sunt, et quacunque ratione facere potuerunt, adiuverunt. Qua in re omnium prin-

ceps est Mathildis, ita ut eius praecipue opera Bruno sacerdotibus traditus et, ut omnes vires conferret in doctrinam Christrianam propagandam adductus et educatus esse videatur. Saxonum quidem eruditio brevius per tempus floruerat, quam quae ad Brunonem educandum sufficeret, sed in Lotharingorum monasteriis et scholis ab Anglo Saxonum monachis conditis praecipue Traiecti, a maiorum sapientia etiamtum minimum recesserant.

Quod vetus „ad Traiectum“ castellum ad aquosam Rheni partem negociandi causa a Romanis conditum esse verisimile est.

Iam Dagobertus primus rex DCXXVIII — DCXXXVIII castello condito et archiepiscopo Coloniensi tradito, quem suam doctrinam inde latius divulgare iussit, sacra Christiana illuc propagare studuit. Quas aedes paullo post a Frisiis funditus eversas, sacerdotes occisos esse, quamquam non probe scimus, tamen non inepte suspicamur. De illis enim usque ad Willibrodi tempora nihil audimus. Pipinus demum Herstallensis Frisiis ad Dorstaedt DCLXXXIX devictis Dagoberti consilium recordatus est, et Willibrodo, pio illo Anglo Saxonum sacerdote, usus est nuntio, qui Frisios ad sacra Christiana traduceret. Qui anno DCXC ad Frisiae litus appulit, et a Pipino laete exceptus, et tribus annis post Echternaco profectus, totius Frisiae episcopus designatus evangelium praedicavit. Traiecti, quo audacter pergere non dubitaverat, Ratboto quidem rege superstite commorari non potuit. Illo tamen a. DCCIXX mortuo Willibrodus episcopus Traiectum consedit. A Carolo martello qui dicitur armis defensus, a Bonifacio aliquoties in praedicando adiutus, ut opus inceptum mox prospere succederet, effecit. Postquam quinquaginta per annos doctrinam Christianam divulgavit, ante diem octavum idus Novembres a. DCCXXXIX mortuus est. Gregorius, Willibrodi successor, scholam Traiecti instituit, qua in animis indigenarum novam doctrinam confirmaret. Quae schola, quoniam iam tunc a multis adolescentibus studiorum cupidis petebatur, litterarum laude videtur insignis fuisse, certe ii, qui Evangelium ad Frisios transferebant, in ea docti erant. Albericus, qui post eum episcopus factus est, quamquam ex Merovingorum gente ortus, tamen Caroli Magni amicus fuit, a quo benigne donatus sancti Martini monasterium Traiecti condidit. Deinde Theodarti, Harkinari, Rixfridi, Hungeri, Odalbaldi, qui postea Alberici munere functi sunt, sola nomina novimus. Ut eam Germaniae partem, quae orientem versus sita est, Hungari equis preragrabant, sic in regionem Rheno affinem Normanni navibus irrumpebant, et, quae modo condita erant, monasteria, urbes, scholas ferro ignique diruebant. Aliquoties etiam episcopis Traiectensibus sede sua relicta Rhoermondum aut Deventerum

confugiendum erat. Neque tamen ulla calamitate deterriti sunt Traiectenses, quominus animis excolendis operam darent. Rodbertus, Odalbaldi successor, carmina cecinit, quae illo tempore scripta esse non intellexeris. Quamquam aetate paene etiamtunc adolescens Rodberti CMIIXX mortui munus Baldericus Rixfridi, comitis Cliviensis, filius suscepit. Ille, ubi CMXXI Henricus cum Carolo Calvo prope Bonnam convenit, inter sacerdotes et principes Caroli partes sequentes versatus est. Illic suspicamur Baldericum ab Henrico visum et propter virtutem et ingenium adamatum esse. Etiam alias causas fuisse putamus, cur Baldericus Brunonis magister ab Henrico eligeretur. Nam cum in aliis Lotharingorum monasteriis litterae non minus diligenter colebantur, tum Augustae Trevirorum, quae schola Reginonis memoria etiamtunc erat clara, Robertus genti regiae affinis, senectute gravis, propter probitatem in sanctorum numero habitus, doctrina excellens paullo ante episcopus factus erat.

Henrici sagacitas et prudentia, qua temporibus commodissime semper utebatur et omnes res ita instituebat, ut postremo patriae saluti essent, etiam hac in re clarissime elucet. Lotharingi enim armis modo subacti pace cum Germanis coniungendi erant, et convinciendi, iisdem rebus a Giselberto quibus a Saxonibus expetitis. Quam unam rem spectans, Henricus amici loco Giselbertum habuit, ad res publicas deliberandas adhibuit, honore magno affecit, adeo generum elegit. Baldericus autem Traiectensis ex consanguineis Giselberti erat. His rationibus adductus Henricus Brunonem tunc puerum quattuor annorum Traiectum misit[1]).

---

4. Iam id solum, quod Bruno Traiecti versabatur, Lotharingis saluti erat. Nam Normanni, Henrici metu deterriti, terram non iam vastabant. „Invisas Normannorum tyrannides, inquit Ruotgerus[1]), quasi per huiusmodi obsidem (Brunonem) aliquantum (Henricus) refriguit et ecclesiae demum ceteraque aedificia, quorum ruinae vix extiterant, hac occasione restauratae sunt. Ita nulla suae aetatis spatia absque utilitate sanctae Dei ecclesiae transigebat. Per ipsum enim, licet adhuc inscium, iam christianus populus, ab hostibus liber, in Dei laudibus exultabat."

Bruno puer optima indole praeditus laetissime proficiebat et, postquam artem legendi, loquendi, iungendi latina verba,

1) Cf. Wattenbach: Deutschlands Geschichtsquellen bis zum Zeitalter der Ottonen. Rettberg II, 517 ff. Dederich: Beiträge zur römisch-deutschen Gesch. am Niederrhein, Emmerich 1850.
1) Ruotg. c. IV.

quae sunt litterarum initia, didicit, Prudentii carmina cum magistro suo legit, quae in omnibus scholis, quoniam tunc praecipue scriptis sacras res tractantibus animos erudiebant, eo tempore cognoscebantur, sic ut nos veteribus scriptoribus operam damus. Illius poëtae opere, quem Ruotgerus fide intentioneque catholicum, eloquentia veritateque praecipuum et metrorum librorumque varietate elegantissimum fuisse dicit, puer discendi studio incensus tantopere delectabatur, ut non solum verba memoriae traderet, sed etiam eas, quas Prudentius expresserat cogitationes, cupidissime mente perciperet. Eadem cura, qua, ne libris maculis adspergerentur, prospexit, etiam ea, quae scripta erant, legendo percurrebat neque, ut quidquam temere mutaretur, concedebat. Non inconstans ab altero ad alterum scriptorem transvolabat, non seposuit librum, priusquam, quae scripta erant, mente percepisset et memoriter animo proposuisset. Summa assiduitate discens nihil nisi libros curare videbatur, quibus legendis non solum die, sed etiam noctu inserviebat, neque ulla re aut divitiarum ad luxuriam invitantium amplitudine, aut rerum publicarum, quibus inter erat strepitu aut sodalium segnitia a litterarum studiis deterrebatur, sed omnibus commilitonibus ex principum gentibus ortis stimulo et incitamento erat. Meditatio et indefessum continuae exercitationis studium, ut ait Ruotgerus, in habitum eius transierat. Mox aequales sapientiae splendore et morum virtute superavit, neque quidquam Graecorum aut Romanorum litterarum illius animum summa acie summa assiduitate speculantem aufugit[2]).

Ut autem, ad quam iam tam mature Bruno et in litteris et in moribus perfectionem progressus sit, intelligamus, respiciendum nobis recte existimat Pieler[3]) Arnsbergensis, unus ex nostris aequalibus, etiam, quantopere patris exemplo incitatus sit. „Cuius solo nomine Normannos a regione, in qua versa„batur, expilanda prohiberi compererat; eiusdem victoriae ab Hun„garis et Venedis partae ab omnibus laudabantur et propter eas „Henricum fidei Christianae servatorem et propugnatorem et „patrem patriae appellabant.“ Tali exemplari puerum ad gravitatem et animi magnitudinem adduci necesse erat.

At etiam alia ex parte, quod Bruno Traiecti educatus et in Lotharingis versatus est, summi erat momenti. Morum pravitate, ad quam omnes occidentis incolae civitatum ordinibus tamdiu perturbatis delapsi erant, ubique varia mala orta erant. Miseria et calamitatibus dolentes multi rursus in templa et ad alteria se contulerunt, confugientes ad Deum eiusque praecepta,

2) Ruotg. c. IV.
3) Pieler l. l. p. VI.

nec nulli sperabant sola pietate et abstinentia ad prosperitatem sese redituros esse. Id nusquam magis, quam in Lotharingis appetebatur, et illic nonnullorum monasteriorum fratres illam cogitationem in animos inductam educere et exsequi studebant. Dei cultus, quo corporis voluptates castigabant, sanctorum memoriam religiose fovebant, a profanis rebus abstinebant, rursus effloruit, quum Itali a doctrinae veritate aberrarent et Francorum sacerdotes ad res profanas curandas discederent.

Ne Bruno quidem ab illo animorum cursu non tactus, sed vehementer motus est; nec tamen, ut illi monachi caeco quodam et turbulento animi ardore ferebatur, sed nova illa consilia in mentem inducta constanter perpendit, nec non coniungi posse cum vero Dei cultu arbitratus est litterarum studia.

---

5. Quum Bruno Traiecti litteris praecipue iis, quae sacerdotibus necessariae sunt, imbueretur, Henricus pater omnem operam contulit in civium mores permutandos et emendandos et regnum novis ex normis instituendam. Ac paucos quidem Germanorum reges de patria tam bene meritos inveneris, quam Henricum primum, a quo ut illustris principum gens oriunda est, sic etiam regnum, novo ordine moderatum, ex nova civitatis forma et ad tempora et ad voluntates et ad necessitates singularum stirpium accommodata institutum, Henricum cuius opera id perpetratum est, ut Germani et communi quadam societate continerentur, et non minus suas res, quam aliorum populorum suo ipsi arbitrio discernerent et gererent.

Amplum illud Caroli magni imperium, quo omnes occidentis populi continebantur, propemodum dixeris simulatque est constructum, dilapsum erat. Cuius quum aliae, tum ea, quod singuli populi, intellecto se suis quemque conditionibus uti, ex suis legibus sese administrari volebant, causae ruinam properaverunt. Primum potentibus Mohammedi assectatoribus, qui tunc Hispania capta Christianorum et civitatibus et eruditioni interitum moliebantur, repulsis, et iis populis, qui, orientem et septentriones versus habitantes, veterem superstitionem fovebant, victis et ad Christianorum partes transductis, deinde Romano pontifice a Graecorum ditione soluto et pontificis sede Romam, unde praecipue Germanis praefuit, translata, porro Christianae doctrinae propagatione Germanis tradita, tandem iis, qui de Deo tunc idem sentiebant, etiam in unius civitatis formam, quamquam armorum opera, redactis, illud imperium quod a Deo ei fuerat provisum, exsecutum erat et absolverat.

Quamquam multum abfuit, ut Carolus quidem veteres Romanorum imperatores imitaretur, qui populos subactos insita

indole neglecta ex una sua voluntate regebant, tamen periculum erat, ne successores Caroli in illorum errorem inciderent. Quo factum esset, ut, quae cuique populo natura largissime impertita erant virtutum quasi germina, magis reprimerentur et exstirparentur, quam ad vigorem et florem laetum producerentur. Quod, quum imperatores Romani regnarent, re vera ita factum esse, nemo negaverit. Sed Dei benignitate prospectum erat, ne illa aetas, qua animi tyrannorum superbia ad stuporem depulsi iacebant, in Germanis redirent. Etsi Caroli successores, quamquam neque animorum neque corporum praestantia insignes, imperatorum nomen iactabant, tamen potentia et auctoritate carebant. Et qui fieri potuit, ut homines vix suorum animorum et cupiditatum compotes tantum regnum continerent! Illos inquit optime unus[1]) ex iis, qui nunc historiam perscrutantur, compares vasis figlinis, quae, aeris mole onusta, diffringuntur. Etiam si unus alterve Carolingorum, ut is, quem Crassum appellaverunt, et Arnulphus regnum restituturi videbantur, tamen, quod appetierant, nec peregerunt nec conservaverunt. Et qui fieri potuit, ut Germani iuventute quadam et ubertate pollentes, et absolutae quum in privatis tum in publicis rebus libertatis cupidissimi Romana dominatione constringerentur et devincirentur! Diruptis iis, quibus Carolus libertatem cohibuerat, vinculis, eas, quibus antea usi erant, rerum publicarum formas, receperunt. Vix unius hominis aetas transierat, quum eius, quam tanto artificio Carolus regni ut ita dicam turrem exstruxerat, non nisi rudera quaedam superfuerunt, vix centum anni praeterlapsi, cum illa rudera disiecta et distrita iacuerunt.

Ne ii quidem, qui divisi regni partibus praeessent, Caroli Magni posteri erant idonei. Neque in Italia neque in Francia occidentali aut orientali dignitatem et auctoritatem regiam, qua sola civitatis salus nitebatur, conservaverunt. Quarum omnium conditio illo tempore Carolingis auctoribus moesta et tristis facta est, in cuius locum tota demum gente radicitus exstirpata prosperitas rediit. Quum in omnibus occidentis regionibus sibi quisque quod videbatur, faceret, et quaecunque in civitate antea constiterant, dissoluta essent, Franci orientem versus habitantes primi initium fecerant instituendi novam rei publicae formam. Ab illis primum tranquillitas et iustitia reducta, in illis novae civitatis dies ut ita dicam illuxit. Ergo, quid in Germanis factum sit, primum intueamur.

Quam infirmis fundamentis nitatur regnum, quod solum armis conglomeratum per vim cohibetur et coërcetur, id Carolingorum interitu declaratum est. Quod Carolingi ceperant

1) Loehr: König Konrad und Herzog Heinrich von Sachsen pag. IV.

regni gubernandi consilium, idque summa severitate et potentia perpetrabant, adversabatur iis, quae Germani integri ac sanguine Romano non mixti de iure, aequitate, civitate partim a maioribus tradita acceperant, partim ipsi excogitaverant. In Carolingorum imperio summa potestatis non erat penes populum, sed penes imperatorem. Carolingi, magna ex parte eandem civitatis formam appetentes, quam imperatores Romani, nec concedentes, ut in civitate praeter sese quisquam ipsius esset potestatis, omnium voluntates et iudicia in muneribus administrandis sibi subiecta esse volebant. Civitatis formam plane contrariam Germani in animos induxerant. Apud quos res publicae in eo consistebant, ut reguli quidam non latiori populi parti, quam uni stirpi, duces vocati, imperarent. In his autem regnis parvulis singuli sua quisque libertate suoque arbitrio utebantur. Ab unius potestate, cui et universus populus et singuli duces parerent, Germanorum natura plane abhorrebat. Videbatur quidem Carolus Magnus imperatorem cum populis coniunxisse, re vera, quanto ingenio erat, minime coniunxit. Qui quoniam tanta naturae dissimilitudine seiuncti erant, imperium, simulatque populus robore et firmitate acceptis suae indolis conscius esset factus, in partes rursus dissolvi necesse erat. Quantum abfuerit, ut, quod Carolingis de regno videbatur, Germanis probaretur, iam tum patefactum est, quum Ludovico, cui infanti cognomen, non iam satis virium esset, ut eos, qui sibi obsisterent, perdomaret.

Quoniam Carolingorum civitas ex iisdem regulis, quibus sacerdotum ordo, constructa erat, illis, qui huic erant ascripti, maxime placebat et sacerdotum intererat, ut ille rerum status, quippe qui ad suam auctoritatem confirmandam et amplificandam esset aptissimus, conservaretur. Illi praecipue novis ducibus obsistentes regem adiuvabant, et Ludovico, qui solum per illos adiutus dignitatem regiam retinuerat, mortuo, eorum maxime opera regnum ad Conradum delatum est, a quo Carolingorum moribus simillime administratum iri sperabant. Neque illa spes eos fefellit, et Conradus, ut illud Carolingorum consilium exsequeretur aliquoties omnes regni tunc mox interituri vires coëgit atque impendit nec dubitavit in pugna illius causa orta ipsam vitam periculo obiicere. Quamvis autem magna admiratione afficiamur, quanto studio Conradus consilium suum amplexus, quanta assiduitate et constantia persecutus sit, quanta fortitudine et audacia defenderit, tamen dolore tangimur considerantes et summam unius viri probitatem ac virtutem et totius populi salutem proiici, ut ad eum finem perveniretur, ad quem, quod rebus male cognitis nitebatur, perveniri nunquam potuit. Ex quo tempore Conradus ab adversariis victus

est, omnes ab eà civitatis forma, quam Carolingi amplexi erant discesserunt.

Quo Conradus et consilium, quo movebatur exitu, fuit, clarissimo testimonio est ad salutem et magnitudinem populum produci solum ab eo rege, qui ea, quae aequales spectant et appetunt, cognoscat, moderet, adiuvet.

Non magis enim utilis et salutaris eorum modus est, qui non intellectis iis cogitationibus, quae in populo quasi flamma gliscens perpetuo foventur, usquedum manifestissime exardescunt, veteres easque incommodas rei publicae formas mala constantia retinent, quam ii, qui summam, ad quam ipsi pervenerunt humanitatem, populis ad eam recipiendam nondum idoneis cum vehementia afferunt et invitis inculcare student. Utrorumque vita quorum exempla in rerum cursu haud facile te fugient Conradi sorti similis erit.

Quod autem reges et populus de civitate plane dissentiebant, nec tamen aut Carolingi aut Conradus, quae volebant, efficere poterant; Franci orientales ad miseriorem in dies conditionem decurrebant. Rudi inconditaeque moli illo tempore Franci sunt comparandi, cuius singulae partes vetere statu discusso altera alteram delent et pessumdant.

Quod inter regem et duces usque ad id tempus ius fuerat, nihili iam ducebatur; regum quamquam nomen supererat, dignitas non erat; ipsi singuli duces vehementissimis alter alterum inimicitiis persequebantur, quae totis gentibus demum caesis sedatae sunt. Quae sacerdotum principes volebant, iis quae duces, contraria erant, et quum regum opes iam minores essent, quam quibus iurgia disceptarentur, singularum regionum sacerdotes et principes atrocibus certaminibus alter alterum impugnaverunt. Duces a percussoribus ex sacerdotibus subornatis interfecti, episcopi a ducibus in carceres coniecti et oculis privati. Per totum regnum iustitia violentiae cesserat, et omnium rerum perturbatio in omnes partes irruperat, et, quoniam domi flagrantibus seditionibus et civitatum permutationibus, in externos vires deficere solent, etiam tunc et ab oriente et a septentrionibus hostes invaserunt et Germaniam, in quam intimam penetraverant, ferro ignique vastaverunt. Tunc exercitus ex Normannis atque Danis collectus Saxonum copias[2]) uno proelio confecit, alius Hungarorum, qui in dies maiori damno Germanis facti sunt, Bavaros delevit[3]).

Tunc Henrici virtute factum est, ut perturbatae illae Germanorum res rursus ad certum finem dirigerentur, ut regnum

2) Widuk. l. I c. XVI.
3) Annal. Corbei. a. CMVII.

collapsum et dirutum ex ruinis[4]) exigeretur et extrueretur, ut ascia, quod Loehrus[5]) bene dicit, in ipsas populi radices penitus impacta rursus evelleretur, et in ramos iam arefactos succus et vigor diffunderetur, ut Franci orientales ab occidentalibus in perpetuum soluti suae ditionis civitatem instituerent et res gererent, ut Germani totius Europae principatum tenerent.

Henricus rex factus a Carolingorum regnandi modo statim discessit; Germanos Germanis moribus regere in animum induxerat; quas reperit civitatum formas, a maioribus traditas atque ad Germanorum naturam accommodatas, non per vim diruptas, sed sapientis rei publicae moderatoris ratione patienter toleratas quasi lapides quosdam adhibuit ad novum civitatis aedificium erigendum, quo paullulum quasi dolati continerentur. Quod Carolingi usque ad id tempus ius exercuerant, ex quo Francorum stirps quasi victores commodis utebantur, reliqui officia exsequebantur, et quae necessaria, in publicum proferebant, ille reliquit et abiecit. Illud autem imperium volebat non unius tribus sed universi populi esse et contineri minus vi, quam libera voluntate hausta ex cognitione eorum quae unicuique commodo aut natura ad assequendum propositum esset. Volebat Henricus Saxones in ceteros non dominari, sed principatum solum obtinere, quippe qui Giselberto Lotharingorum duci paene regis et Arnulpho Bavarorum propemodum summi inter suos principis dignitatem concederet. Licet, Germani initio tenero societatis vinculo coniuncti fuerint, tamen omnium animi Henrici prudentia ad eam societatem adducti sunt, ut, quemadmodum quondam soli Saxones ducem suum contra Conradum, sic tunc universi Germani regem contra Hungaros sequi non dubitarent.

Quum apud Carolingos reges magis magisque immiscerent se sacerdotum et sacerdotes regum muneri, Henricus regis potestatem solo populo niti vidit ab eoque ex vetere Germanorum more voluit et eligi se et comprobari. Ab illo regem se fieri satis habebat, et, quamquam vera pietate Deum colens, tamen nolebat a sacerdote nec ungui nec diademate ornari, utpote qua re existimaret sacerdotibus regem subiici. Et, quod Carolingos cum sacerdotibus fecisse ex cura eorum inter populum et sacerdotes partita repetebat; ut permoverentur rursus sacerdotes ad abstinendum sese a rebus publicis, quas arripuerant, quid et illis et regi esset faciendum, providit et certis quibusdam terminis circumscripsit. Ac non modo hac in re iniuriam contra ecclesiam vitavit, sed quum a re publica pater patriae, tum ab ecclesia defensor et patronus ecclesiae iustissime appellatus est.

4) Ruotg. c. II.
5) Loehr: Politik König Heinrich I., pag. III.

Iam explorato, quomodo res publica ab Henrico funditus sit permutata et emendata, etiam rationem hominum commeandi inter se, consuescendi, considendi aliter institutam esse commemoremus. Equitum enim et urbanorum originem quamquam non omnino ei tribueris, tamen id concedendum est, illorum germina, ut ita dicam populo insita non fugisse Henrici sagacitatem et peritiam, nec negari potest eum cognovisse, quanti momenti haec essent ad totam civitatem formandam; et tantum abfuit, ut, quominus prioris aetatis formis relictis novae horum ordinum orirentur, impediret, ut vel adiuvaret, et regeret.

Quamquam non libenter avertimus oculos ab hac Henrici magnitudine, temperantia, animi candore, sapientia, tamen accuratius intueri a fine proposito longius abest. Nobis enim solum breviter comparandum erat, quae Carolingis et quae Henrico placuerit rei publicae gubernandae via, quia et, quod illis et, quod huic visum est, in Ottone reperiemus. Mirum est illum de civitate et hoc et illud sensisse et exsecutum esse. Quum enim in suo regno, quantum poterat, Carolingos sequeretur, a patris consilio aliquo modo dissentiens, in externos populos eundem se praebuit, quem Henricus erga Germanorum duces.

Cuius aedificii fundamenta iacta erant ab Henrico, id ille aedificavit, confirmavit et quemadmodum, ut Alexander orbem terrarum sibi subiiceret, Philippus exsisteret, necesse erat; ut Carolus Magnus imperaret, Carolus Martellus et Pipinus magnas atque difficiles res summa contentione gererent; sic Otto Magnus non valuit potentia nisi post Henrici prudentiam. Quae a Philippo, Carolo et Pipino, Henrico semina erant dispersa, a filiis quodammodo sunt demessa et fruges illis contigerunt, quarum patres germina severant.

II.

1. Otto paulo postquam rex factus est, Brunonem e schola Traiectensi in regiam revocavit. Quod, quo anno fecerit, certe definire non possumus. Potest fecisse, si Ruotgerum[1]) sequimur, qui post electum nihil aliud commemorat, statim anno CMXXXVI, ac verisimile est, quod Pieler[2]) affirmat Brunonem a Balderico Aquisgranum conductum ab Ottone non dimissum esse. Constat autem periculo, quod CMXXXIX a Giseberto imminebat, Brunonem a fratre esse ereptum[3]). Bruno, quamquam etiamtunc adolescens, eruditione mentisque acumine haud paucis viris praestabat. Quod quoniam Ottonem non fugerat, fratrem, cuius amplam eruditionem populo verteret commodo, iam, dum iuvenis esset, ipsius cogitationibus imbuti, comitatui adiunxerat. Ubi Bruno circumdatus a viris, qui ea, quae humanitatis a Carolo magno Germanis erant tradita, conservaverant, in litterarum, quarum utria, ut ita dicam, iam perlustraverat penetralia intravit. Qua in re maximae ei fuit utilitatis Israel quidam, quem fere omnes existimant Britannum. Praeter eum nominatim Ruotgerus[4]) neminem appellat, generatim dicit[5]): „Bruno ubi magister excelluit ingenii velocitate, ibi discipulum se praebuit humilitate.“ Antequam schola palatina a Brunone ex certis normis instituta est, homines docti non constanter apud Ottonem versati esse. Episcopi enim interdum eo profecto mox in dioeceses redibant[6]). Quos quamquam multos fuisse coniicimus, ut Udalricum Augustensem, tamen nomina ignoramus. Quo studio Bruno in schola Traiectensi litteris incubuerat, eodem etiam apud imperatorem, quodcunque ad erudiendum animum utile existimabat, amplectebatur[7]). „Nunquam inquit is, qui vitam

1) Ruotg. c. 5.
2) Pieler l. c. pag. 7.
3) Giesebrecht tom. 1 pag. 302.
4) Ruotger c. 7.
5) Ruotger cap. 5 ult.
6) Pieler l. l. pag. 6.
7) Ruotger c. 8.

descripsit, segnitiae indulgebat, nunquam horas matutinas ad aliud, quam litteras exercendas adhibuit, post epulas, quum alii paullo agunt remissius, ipse meditatione vacabat intentius.

Otto cupiens litteras in Germaniam reducere, praecipue Caroli magni scholam palatinam spectabat. Ut autem omnia, quae a summo illo viro instituta erant, partim depravata erant, partim interierant, sic etiam haec schola tam ampla paene prorsus erat dissoluta. Illam scholam ut restauraret, Otto paullo post adventum fratri mandavit. Quod mandatum Bruno summo studio suscepit et insigni prudentia exsecutus est. Et reapse summa admiratione afficimur iuvenis, qui [scholam palatii] iuventutem vix transgressus efficit, ut Germani litteris rursus studeant, et ipse his studiis maximam dat operam. Quae doctrina antea apud Carolum magnum floruerat, illius tunc nullum vestigium supererat. Nam quae ex illa aetate in nonnullis episcopis eruditio remanserat, in peius mutata exaruerat quasi et obtorpuerat, eiusque quamquam satis verbosae tamen horrida barbaries abscondi non potuit. Haec autem illius, quae antea splendebat litterarum lucis depravatio vero atque assiduo studio, quod Bruno reduxit, tunc cessit. Qua in re iuvenis regia stirpe ortus ipse splendidissimum exhibuit exemplar. Quo ipse incensus erat veterum scriptorum amore, iisque tota eius eruditio nitebatur, eo etiam ceteros inflammabat[8]). Quidquid historici, oratores philosophi, poëtae novum et grande perstrepunt, diligentissime cum doctoribus cuiuscunque linguae perscrutatus est. Sedentem, inquit idem Ruotgerus, eum saepe videbant inter viros philosophiae peritos deliberantemque et de illa et de aliis disciplinis. Passim quum in Hispania et Britannia tum in Italia inveniebantur viri nonnulli ingenii magnitudine pollentes. Quos ad Ottonis aulam, novum litterarum seminarium, arcessere Bruno summa opera contendit. Rursus a regia manabant cuncta litterarum studia, artes bonae diligenter colebantur. „Illic benigne accipiebantur homines docti alibi aut non agniti aut invidia pressi; illic, ut in speculo, inquit Ruotgerus, honesta a pravis clare dignoscebantur[9]); illuc conveniebant homines tanta pietate et sapientia insignes, quanta non inveniuntur hominum memoria[10]). „Inde reversi, qui sibi paulo ante domi videbantur doctissimi, rubore notati rudimenta artium, quasi nunc coepi dicentes aggressi sunt.“ Quodammodo inter se consuescere ii qui Europae partes occidentales incolebant et Byzantii nunquam desierant. Monachi ibi nati in monasteriis Francorum commemorantur, adeo homines doctos, Graeca gente ortos, ad Ottonis

8) Ruotger c. 5.
9) Ruotger c. 5.
10) Ruotger c. 7.

aulam profectos esse Ruotgerus tradit. Quos censemus legatos fuisse, qui Germanos et Graecos longum per tempus disiunctos consuetudine rursus coniungerent, quoniam id facere Otto in animum induxerat. Graeci etiamsi aliquod per tempus litteris augendis atque amplificandis non iam dederant operam, etiamsi non iam in iis nitebatur ingeniorum ad melius progressus, tamen etiamtunc excellebant elegantia et concinnitate, qua alter cum altero consuescebant, eminebant sagacitate, qua alter cum altero disserebant, praecipue ornati erant orationis pulchritudine. Occasionem igitur legatorum Graecorum oblatam Bruno non praetermisit, sed eorum auxilio utebatur ad initia linguae Graecae, quae Balderico magistro didicerat, augenda et amplificanda. Quum multa alia Graecorum laudabilia Bruno sibi comparavit, tum ab iis videtur accepisse eloquentiam, qua omnium animos movisse dicitur.

Graecorum veterum scripta ad eum non pervenisse dolemus, quoniam non dubitamus, quin ille vir, quanto ardebat litterarum amore, quam idoneus erat ad philosophiam tractandam, ut vena quasi philosophica praeditum fuisse non inepte dicat Giesebrechtus[11]), quam recte intelligebat veteres scriptores, quanta excellebat indolis amplitudine, antiquorum litteris in Germaniam iam tunc introductis iis, qui quinto et sexto saeculo doctrinam Christianam renovaverunt, patefecerit viam. Quum usque eo Graecorum litterae tanquam ethnicorum in ecclesia occidentali semper essent despectae, repulsae, condemnatae, gaudemus Brunonem alia sentientem atque aequales ne illa quidem manere sibi incognita voluisse et libros Graecos, quamquam sententiis minus paruerit, legisse.

Quantopere autem mirabantur Graeci[12]), quum, ubi nihil nisi barbariem sese esse aspecturos suspicati erant, invenirent musarum sedem tam splendidam, tantam in Brunone ingenii elegantiam, tam amplam doctrinam. Fuit enim Bruno nonnullis in rebus etiam doctior, quam ipsi, et quaestiones iis proposuit, ad quas quanta sagacitate erant, respondere non poterant, ita ut in patriam regressi doctissimos viros consulerent.

Verum quidem est etiam Brunonem, quippe qui aetatis suae esset particeps, ne ab iis quidem, quae aequalibus essent persuasa, alienum fuisse et litteris sicut eos ita studuisse, ut ad explicanda scripta sacra conferrent; apud eum quoque Dei cultus scientia praevalebat et hoc demum ad litteras est traductus. Tamen multum differebat a ceteris aevi sui hominibus doctis. Nam quum aut, ut Italici, sacris scriptis contemptis obscoenis

11) Giesebrecht l. l. p. 302.
12) Ruotger c. 7.

veterum scriptorum locis delectarentur, aut ut Germanici antiquorum scripta quasi ethnicorum et Christianae doctrinae adversa condemnarent, Bruno, quod utrorumque verum putabat, accepit et concinnavit. Iam supra commemoravimus renovatas esse Brunonis aetate in monasteriis Lothariorum et Burgundionum per monachos victus severitatem et a rebus profanis abstinentiam. Illi monachi colebant paene nimia reverentia sanctos et reliquias. Illorum virorum, inter quos educatus est sententiis, ita tactus est, ut vel viam iis praemuniret. Nihilominus Terentium, quamquam non rerum, sed formae causa legebat. „Scurrilia et mimica, inquit Ruotgerus[13]), quae quidem concrepantes visu se infinito concutiunt, semper serio lectitabat.“ Orationis pulchritudine oblectabatur, eo quod narrabatur, non item. Bruno, quamquam pietate omnes superabat, et summo loco natus abstinentia plurimis praestabat, quamquam nihil negligebat caeremoniarum ad Dei cultum pertinentium, tamen propter litterarum et veritatis studium multis fuit offensioni.

Sacerdotes Germanici suspicionem in Brunonem habebant, ut qui ethnicorum libros revocaret, adeo nonnulli appellabant eum apostatam et haereticum[14]).

Bruno autem quoniam abhorrebat ab haereticis vitaeque vere Christianae sibi esset conscius, nec quidquam faceret propter hominum laudem, sed, ut ait Ruotgerus[15]), conscientiae testimonio permotus, nullis inimicitiis deterrebatur, quominus praeter scripta sacra legeret etiam profana.

Comis ille vir, quae didicerat, non retinebat, sed cum aliis communicabat docendi et eloquendi facultate ornatus tam ampla, ut omnibus videretur admirabilis. Nullo autem utebatur supercilio, sed cum domestico lepore tum urbana gravitate; neminem cogebat, ut quae doceret, acciperet, sed clementer et hilariter iis, qui audiebant, praecepta sua probabat; qui ei obloquebantur, eos non repudiabat, sed summa comitate ad sententias adversariorum descendebat[16]). Septem artes liberales, quas paene ignorabant, revocavit et, ut a magistris prudentibus docerentur, provisit.

Fieri non potuit, quin vir ea naturae benignitate, qua Bruno donatus, ea sciendi cupiditate, ea doctrina, eo incensus et scientiae populi amplificandae et morum emendandorum desiderio, insuper regia stirpe genitus, novos admoveret ingeniis excolendis stimulos, novas vias aperiret. Ad Germanorum imperatorem rursus viri sapientes undique coibant, apud eum rursus litterae

---

13) Ruotger c. 8.
14) Thietm. II c. 10 de quo loco multi sunt collocuti et describuntur ibi illius aetatis sacerdotes.
15) Ruotg. c. 6.
16) Ruotg. c. 8.

acri studio et prospero eventu exercebantur, ex eo etiam in inferiores eruditio et humanitas rursus perveniebant. Honesto Brunonis studio effectum est, ut de integro in Germania litterae ubertim enascerentur et laete efflorerent[17]).

---

2. Anno CMXL domesticis adversariis devictis Otto Brunonem fecit cancellarium, cuius munus ut cetera, longum per tempus turbatum iacuerat; et etiamtunc eodem anno archicancellarium, quae traduntur vit. Math. Leibn. I, p. 197: „Cum autem profecisset aetate et sapientia, adiunxit eum sibi per amorem fraternitatis in munus archicapellani.“ Ac primum quidem diploma Bruno conscripsit pridie Calendas Iunias CMXL. In altero CMXL conscripto primum subscripsit nomen archicapellanus. Eodem signo duo alia diplomata anni CMXLIX et CMLI sunt ornata. Quum usque eo munere archicancellarii gravissimo functi essent solum episcopi, ut Poppo Wurceburgensis, Fridericus Moguntiacensis, Heroldus Iuvavensis, insignes senectutis gravitate, clara sapientia et spectata negotiorum peritia, Bruno cancellarius factus est nondum septimum decimum annum assecutus, quamquam ne diaconus quidem antea innauguratus erat. Inde enim, quod archidiaconus primum apellatur diplomate CMXLII perscripto ante diem nonum Calendas Martias, apparere videtur hoc demum anno ad eam dignitatem eum pervenisse. Revera miremur oportet, quod Otto tanto muneri fratrem adolescentem praefecit. Sed si consideramus necesse fuisse administrarentur illa negotia quum a viro prudentissimo tum amicitia Ottoni fidissimo, et consiliis eius favente, cur Bruno ab Ottone sit electus, intelligimus. Ut Otto solebat admirabili acie viros ad negocia idoneos reperire, cognosse videtur etiam Brunonem esse eum, a quo quum in ceteris, quae expeteret, tum in re publica permutanda adiuvaretur. Quae spes eum non fefellit. Illum autem honorem, si quis cum nostris comparaverit, non vacuum nomen fuisse, eo confirmatur, quod Brunonis nomen ne sub uno quidem ex diplomatis, quae ab anno CMXL litteris sunt consignata, desideratur. Quae sexcenta diplomata, quamquam non verisimile est a Brunone ipso perscripta esse, tamen necesse est esse perlecta et nomine supposito sancta. Quod quantum nos quidem scimus solus de Günderode coniecit Brunonem cancellarium non eundem esse atque fratris imperatorem, sed monachum Corbegensem, eodem nomine appellatum, iam a Koepke[1]) est aversum, qui imperatoris fratrem eundem fuisse cancellarium e diplomate erutum certissime declaravit.

---

17) Wattenbach l. l. pag. 161—217.
1) Annal. d. d. R. v. Koepke Bd. II. excurs. 7. Pieler l. c. p. 6.

3. Quod grave illud munus a Ruotgero silentio praetermissum est, summopere miramur, et quod nostra memoria res a principe illo insigni gestae non, ut ab aequalibus scriptoris, retinentur, aegre ferimus; Ruotgerus enim tredecim hos annos a CMXL ad CMLIII tanta brevitate praeterit, ut vix obiter perstringat. De uno tantum facto meminit, quo satis declaretur, quomodo in monasteriis condendis vel restaurandis Bruno se gesserit. Quemadmodum enim mos erat, ut equites, qui ei officia praestiterant, rex feudis remuneraretur, ita sacerdotes abbatiis et beneficiis ex quibus victum sumerent, donabuntur. Ita Bruno archicapellanus a fratre factus simul Loreshae monasterio praepositus erat. Victus monasteria decens hic prorsus interierat; leges canonicae et instituta ecclesiae ibi ludibrio vertebantur, et abbates ex laicis electi rebus ex suo arbitrio et libertate utebantur. Illorum lasciviae Bruno celeriter finem imposuit; nam qui non adhortationibus permoti sunt, ut a vitiis desinerent, ii e monasterio sunt expulsi. Deinde nimio tributo aut decumis monasterio non impositis, quod redituum monachis non erat necessarium, pauperibus distribuit[1]); ipse autem sibi nihil sumpsit, nisi quod fratres sua sponte ei praebebant.

1) Ruotg. c. 10.

III.

1. Winfrido archiepiscopo Coloniensi ante diem septimum Idus Iulius mortuo praecipue Godefridi, unius ex Lothariorum principis opera factum est, ut Bruno, quo Godefridus usus erat magistro, episcopus summo omnium consensu eligeretur[1]. Quum enim Winfridi corpus ex more propalam esset collocatum, electa est octo virorum legatio quattuor clericorum, quattuor laicorum, qui et Ottoni episcopi mortem nuntiarent et, ut Bruno episcopus fieret rogarent. Quam legationem imperatorem, quoniam Widukindus (l. III c. 18) narrat Ottonem Calendis Iuliis e Saxonibus profectum esse, ad urbes Franciae, quae defecerant, pacandas, in Francia adisse verisimile est.

Qui nuntius Ottoni quam laetus, quam exoptatus fuerit, facile intelligitur. Certe enim speravit Brunonem, qua spectata esset, prudentia animique praesentia, consilia adversariorum perspecturum et victurum esse. Quare Otto archiepiscopum, quem elegerant, probare non dubitavit[2]. „Complacuit, inquit Ruotgerus, imperatoriae auctoritati sic et tempori et loco consulere, ut petitum tanta constantia visitatorem festinanter ad gregis destinati custodiam mitteret.“ Brunonem in medio ducentes legati redierunt. In omnibus et monasteriis, quae transibant, campanae, bucinae, cymbala sonabant et hymni cum laetis populi clamoribus cantabantur. Brunonem, cuius facta audita perceperant, visu cognitu cognitum omnes accurrebant, neque abfuit monachus aut monacha neque ullus populi ordo aut sexus[3]. Atque tunc quidem nemo non admiratus est principis gravitatem, lenitatem, comitatem, ita ut iam in itinere omnium animos sibi conciliaret.

Atque Bruno Coloniam pervenit, quum res in summo discrimine versarentur. Nam paullo post Conradus maxima

1) Ruotg. c. 12.
2) Ibid.
3) Ruotg. c. 13.

violentia impetum in urbem fecit. Tunc unius archiepiscopi, qui modo intraverat, opera impeditum est, quominus dux Lothariensis quidquam efficeret, ita ut re infecta Moguntiacum se reciperet. Illuc ante quam Otto per Saxones et Francos progrediens advenisset, cum Ludolpho se coniunxit. Atroci, quae deinde inter obsessos et oppugnantes orta est, pugna, quum animi militum Ottonianorum iam nimis fatigati essent, imperator coactus est cum genero et filio agere de pace. Tunc Otto Brunonem, et sagacitatem et eloquentiam suo tempore recordatus, ad colloquendum cum adversariis Colonia arcessivit[4]). Deinde, quum Conradus et Ludolphus in castra venissent, sed quod sodalium incolumitatem impetrare non possent, iam in eo essent, ut redirent, Brunonis adhortationibus precibusque paene factum est, ut Ludolphus mitigatus pacem cum patre iungeret. Dixit enim Bruno: Aversis oculis a trucibus militibus spectet innumerabilia, quibus a patre affectus sit beneficia, amplitudinem, gloriam, ducatum, certam regni spem, comitum sacramenta, quae iam adolescens acceperit. Fuisse eum antea gaudio et deliciis patri et omnibus civibus, nunc offensioni et aegrimoniae, laedi ab eo legem divinam, qua parentes revereri iubeamur, timendos ei esse patris maerorem et gemitus, timendos patris lacrimas, occaecari animum eius blanditia perniciosa, ab iis, qui eum adiuvent, in consilio persequendo, spectari non eius, sed ipsorum commodum. Ab illis ad finem propositum eum non perductum, sed inde deflexum iri; desinat igitur esse similem Absalonis, Salomonis exemplar imitetur, adeo patrem filio in gratiam regresso summo gaudio affectum iri, regredienti veniam et benevolentiam libenter esse tributurum. Iuveni autem ab avunculo tam benevole, tam suaviter pietatis admonito Henricus invidiose crimen obiecit. Qua re ira Ludolphi rursus incensa et animus ad summam pertinaciam perpulsus est. In urbem regressus Ludolphus et Conradus bellum vehementissime redintegraverunt.

---

2. Bello de integro exorto Otto Moguntiacum reliquit. Coniurati ipsi castra moverunt Bavariam expugnaturi. Bruno in Lotharios se contulit, ubi fungeretur non solum archiepiscopi, sed etiam archiducis munere, quod ab Ottone ei mandatum erat[1]). Nam, quamvis e normis canonicis officiis ei esset abstinendum profanis, tamen precibus et obsecrationibus fratris periculis circumdati victus erat[2]). Moguntiaco profectus, a. d. XI Calendas Octobres Aquisgranum transiit, ubi oratione facunda Ottonianorum

4) Ruotg. c. 17.
1) Ruotg. c. 19.
2) Ibid.

animos stimulavit et in fide confirmavit. Quinque diebus post Coloniae laetissimo cum populi assensu episcopus inauguratus est, cui caeremoniae interfuerunt Rotbertus, archiepiscopus Trevirensis, Hildeboldus, Drogo, Volbertus, Berengarus, Ratherus episcopi.

Otto coniuratos in Bavaros insecutus est, unde, quia Regina castra, urbem ab adversariis occupatam, recuperare non potuit, sub anni CMLIII exitum in Saxones se recepit. Ab initio anni insequentis hostes Ottonis novo socio, Hungris, aucti sunt. Qui utrum a Ludolpho et Conrado invitati et mercede conducti sint, quoniam fontes dissentiunt, ambiguum est, transgressos autem Germanorum limitem societate a coniuratis receptos esse constat. Quibus cognitis Otto cum iis, quae ei supererant, copiis e Saxonibus et Bavaris contra Hungros iter fecit; illi autem proelium veriti in singulas turmas discesserunt, quarum una Rhenum transgressa et Conradum ducem nacta Lotharingiam atrociter vastans in summum periculum Brunonem adduxit. Conradus, quamquam qua re permotus sit, declarari non potest, Hungros deseruit, qui duce orbati per Galliam et Italiam in patriam reverterunt. Ita Conradus ne hac quidem, qua oppressurus et obruturus Brunonem visus erat societate consilium erat adeptus, contra Bruno et in fratris fide ipse perseveraverat et imperatoris amicos tutatus erat et continuerat.

Quod Thietmarus narrat de Brunonis perfidia, si re vera factum est, quin hoc tempore factum sit, fieri non potest. Tradit enim lib. 2 c. 15 temporibus paschalibus CMLIV a Brunone pravorum hominum consilia sequente Hugonem sororis maritum, Coloniam esse vocatum, ibique imperium ad eum delatum. Thietmarus, qui res ante eum factas crebro non modo non accurate describit, sed etiam in menda inducitur, unus gravissimam hanc rem commemorat. Tacet de ea Ruotgerus, qui a Volkmaro, Brunonis in munere successore, libellum litteris mandavit. Hoc igitur et reliquorum testimoniis et sinceris Brunonis moribus prorsus repugnat. Illud si factum esset, Bruno, cuius solam fidem semper admirati sumus, proditor a nobis esset despiciendus. Eundem autem esse et fidissimum et perfidissimum a natura abhorret. Quo Doenniges[3]) iure adductus esse nobis videtur, ut illum de Brunone nuntium fictum existimet.

Si Hungris Lotharios expilantibus Bruno cessisset, Conradus Ottone superior discessisset. Brunonis constantia fiducia contumacissimi viri fracta est; deinde, quum Germani intellexissent favore, quo Ottonis adversarios amplexi essent, fovisse sese proditores, is quem spes defecerat, etiam auxiliis est privatus, ut exinde non modo non damno esset imperatori, sed etiam in

3) Doenniges l. l. pag. 28.

concilio principum Cinnam convocato veniam (imperatoris) imploraret[4]). Otto, cui ex illo tempore res esset cum solo Ludolpho, Regina castra occupavit, quo factum est, ut Ludolphus cum patre de pace ageret. Et, postquam in omnium animis, principibus iterum Fritzleren coire iussis pacis desiderium excitatum est, immani inter patrem et filium discordiae colloquio ad Saalfeld facto finis impositus est[5]). Germani ita coniuncti rursus et corroborati molem illam Hungrorum et Slavorum proximo anno superaverunt. Ex illo tempore usque ad nostram aetatem et humanitate propagata et belli arte aucta, Germani opes suas in Slavis continuo amplificaverunt. Ad tantam victoriarum seriem aperiendam Bruno, qui ne dilaberentur Germanorum res, defendit, plurimum contulit.

---

3. Funesta illa Ludolphi et Conradi seditione oppressa nec domestici neque externi hostes regnum infestabant.

Conradus dux in proelio contra Hungros facto honeste occiderat, Ludolphus venia patris impetrata in Italia morbo obierat, Fridericus archiepiscopus ab hominum strepitu remotus paullo post concilium Cinnense ante diem septimum Calendas Novembres decesserat, Egbertus autem comes praecipue Brunonis opera gratiam Ottonis recuperaverat. Henrico, Bavarorum duci, paullo ante pugnam Augustensem mortuo, filius eiusdem nominis successerat. Alemanniae, quem ducatum Otto Ludolpho abrogaverat, Burkhardtum praeposuerat, necessitate sibi coniunctum matrimonio cum Hadviga, fratris filia facto. Qui duo viri constantissima fide imperatori erant dediti.

In Saxonibus rex nihil mutavit, Hermanno, cuius continentiam et prudentiam cognoverat, in dignitate relicto et confirmato, nec non Lotharingorum ducatum reliquit penes Brunonem.

Ne extra fines quidem Hungris e Germania pulsis et Slavorum seditione fracta hostes erant pares aut periculosi, praesertim quum limitem septentrionalem etiamtunc custodiret Gero, qui solo nomine Venedas deterrebat.

Ita quum regnum et domi esset pacatum et foris tutum, ut etiam ex legibus cives inter se consuescerent, maiore cura appetebat. Quod persequens primum ad Lotharios se convertit. Ubi, quum incolae multarum urbium Ingelheimii in obsequium eius iurassent, Coloniae fratrem revisit, quam in urbem Lotharii pecuniam a rege imperatam contulerant. Una cum eo fidos honoribus et praemiis ornavit, perfidos punivit. Deinde uni-

---

4) Widukind. l. III c. 31.
5) Widuk. l. III c. 40.

versa Lothariorum cura Brunoni commissa ipse in regni partes orientem versus sitas abiit[1]).

Quamquam Bruno, quod summa temporum difficultate susceperat, ut Lothariorum et Saxonum seditiosi quominus coniungerent sese prohiberentur, assecutus erat, tamen quum bona per totam provinciam miserabiliter devastata tum mores depravati erant. Nobiles in latrocinia intenti, quae a Normannis erant relicta, pessumdabant[2]). Clerici officiis neglectis non minus erant corrupti. Plebs, quae moderatoribus et magistris carebat et a domesticis externisque hostibus vexabatur, iacebat controversiis dilacerata, inscientia obstupefacta, egestate et vitiis pressa.

Ut Normanni a ferocia averterentur, fide Christiana erant impertiendi. Ut nobiles a iurgiis privatis, quibus populo nocebant, desinerent, cum virtute et severitate erant coercendi. Ut clerici relictis vitiis et dominatione essent rursus Dei sacerdotes, restitutis monasteriis et disciplina, scientia et scholis erant emendandi. Ne plebs sceleribus et turpitudine perderetur ad iustitiam et ordinem erat reducenda et Dei reverentia mitiganda. Ad eam et equitum et ecclesiae et plebis permutationem profecto opus erat et summa infelicium misericordia et voluntatis firmitate et ingenii acie. Quas virtutes Brunoni infuisse iam vidimus. Ita magnitudine operis nequaquam deterritus paravit et mederi popularibus et ad fidem convertere Normannos. Divulgata inter Normannos doctrina Christiana iam iis temporibus Haroldum regem ad fidem traductum esse Ruotgerus cap. XL commemorat[3]). Quo loco ne nimium a Ruotgero dici existimaveris. Quod enim Haroldus CMLXV cum Gunhilda baptismum accepit, tribuendum censemus Brunoni, qui primus Christianis praeceptis regem imbuit, quamquam eodem anno mortuo. Ex quo Bruno Lothariis praefuit, de Normannorum populationibus nihil iam traditur, contra novae doctrinae sementis non minus in Lotharingia laete enata, quam in peninsula Cimbrica, id quod Schleswig, Ripen, Aarhus monasteriis conditis affirmatur.

Ut nobiles ad obediendum sibi et fratri adigeret, magna opera Brunoni erat impendenda. Qua in re plerumque usus est clementia naturae penitus insita. Eos autem, quos nec precibus neque adhortationibus moveri videbat, ut a pace rumpenda et terra expilanda desisterent, etiam ex potestate ducis cum legis severitate puniebat: Ita, pràecipue Reginarum II, Hennegaviae

---

1) Ruotg. c. 36.
2) Ruotg. c. 40.
3) Widukind. l. III c. 65. Patet etiam locum Ruotg. c. XXXIII. „Eundem animum (modo dixerat scriptor monasteria esse condita et homines ad vitam Christianam esse traductos) etiam alienigenis incitavit“ praecipue ad Normannos ethnicos pertinere.

comitem, qui elatus gentis patriae gloria et amicorum multitudine, quidquid ab archiduce quietis restituendae causa suscipiebatur et instituebatur, spernebat. Erat filius Reginari I., qui quo tempore Caroli posteri in Germania emortui sunt, ducatum ad se vindicaverat et non minus regum Franciae occidentalis quam Conradi impetus defenderat; et frater Giseberti, qui ab Henrico gener electus erat. Propter eam affinitatem illo in seditione mortuo fore ut ducatus tanquam hereditas sibi obtingeret, speraverat. Qua spe deiectus studuerat perpetuo Conradum dignitate privare. Non minus aegre tulerat, quod, postquam Conradus ab Ottone defecit, Bruno in illius locum substitueretur; et tam parvi imperatoris fratrem duxerat, ut ex suo iudicio, quod ille fecerat, immutaret. Ratherum enim, Brunonis magistrum, episcopum Leodiensem, expulerat, Baldericum fratris filium instituerat. Deinde postquam seditione mota etiam Otto contra Conradum bellum gereret, stetit quidem ab imperatore, sed potius, ut huius auxilio suum vinceret inimicum, quam ut Ottonis rem adiuvaret. Seditione autem oppressa non modo ad eandem, qua antea in Brunonem usus erat, superbiam rediit, sed praemia sibi deberi ratus etiam ad maiorem pervenit insolentiam[4]). Episcopos enim modo munere removebat modo instituebat nec quidquam Brunonis monitus curabat[5]). Tandem vel ecclesiam Rhemensem bonis spoliare paravit, quin in eas, quae Gerbergae, Giseberti viduae, sedes erant datae, manus porrexit. Tum vero Bruno non tulit longius id fastidium atque avaritiam, sed collecto exercitu comitem et bona ecclesiae et sedes viduae reddere coegit; quamquam, debita vel inimico tribuens, liberos, a Lotharo habitos obsidum loco ad patrem remisit. Ne amplius eadem committeret, Reginarum iureiurando obligavit. Sed, quum ne hoc quidem a violentia et iniuria deterreretur, captum in exilium pepulit et in Slavorum regiones eiecit. Etiam Emmonem, Longiae comitem, principem propter superbiam minus obedientem, Bruno perdomuit. Hic, cuius Bruno antea usus erat consilio, Lothariis persuadebat et turpe esse a sacerdote gubernari et graviora vectigalia exactum iri. Quemadmodum Emmo a Brunone sit oppressus, memoriae non est proditum, sedatum autem esse motum ex eo apparet, quod institutum, huius seditionis ratione habita a Brunone in Lothariis factum, mox viguit. Divisit enim provinciam in superiorem et inferiorem et huic Godefridum, illi Fridericum praeposuit, ut per hos duces potentes, quod Doenniges recte admonet, principes coercerentur et duae gentes cum regia coniunctae inter se

4) Ruotg. c. 38.
5) Folcuinus c. 1 et 26.

moderarent, ei ducatui praefecti, qui, quum ab uno principe contineretur, praesertim quum Franciae occidentali tam finitimus esset, ne ab imperatore descisceret, semper fuerat timendum. Fridericus ab Alberico dux Mosellanus appellatur, unde opinor apparet stirpi, qua ortus erat, ad Mosellam ampla praedia fuisse; fratre usus est Adalberone Divoduri episcopo, et socero Hugone, Franciae rege, quippe qui Beatricis esset maritus[6]). Godefridus quum apud Brunonem adoleverat tum plurimum contulerat ad dignitatem archiepiscopi magistro tradendam, praeterea erat, ut Ruotgerus ait, vir sapiens et religiosus, pacis amantissimus.

Bruno, quamquam potestatem his duobus viris tradiderat, tamen non desiit suo iudicio et arbitrio regere, si quid rei maioris erat gerendum. Archiepiscopum, quem auctoritate apud duces ita videret multum valere, archiducem a Ruotgero[7]) esse appellatum probabile est.

Ut nobiles eum in modum mansuefecit, sic etiam ecclesiam recte conformavit. Sacerdotes enim illis temporibus ad quantam ferociam delapsi sint, vix describi potest. Nonne tradit Folcuinus in libro de abbatibus Lobbeiensibus scripto antistiti a monachis, quibus illi hoc munus mandatum esse displicuit, noctu in agros abstractis linguam et oculos evulsos esse et ne mutilatum quidem corpus deinde ex agris remotum? Nonne Camaracenses episcopi insolentia sunt perducti, ut redeuntem ex itinere clausis portis ab introitu probiberent? nonne urbe capta foeda crudelitate sunt puniti?[8]) Nec singula quaedam monasteria ita erant depravata, sed universa ecclesia et Lotharingiae et universi occidentis.

Summo commodo evenit quum ecclesiae occidentali tum universae Christianae, quod inde a Carolo magno Germani non minus in rebus sacris, quam profanis Italis superiores facti sunt. Quamquam enim, qui princeps ecclesiae habebatur, Romae versabatur, tamen et fides et eruditio ex Italis recesserat, ibique magis quam in ceteris populis et doctrina et mores degeneraverant. Mohammedis assectatores, qui propter civilem discordiam a finibus arceri non potuerant, periculum ecclesiae minabantur, nec minus rethorum scholae, quae revixerant, ethnicorum erroribus praecepta Christiana inficiebant. Ab hostibus quidem extrinsecus irrumpentibus per reges potentes in Germania ecclesia defendebatur.

Germani, quum papis non iam inesset satis studii et virtutis, et ecclesiam restauraverunt et evangelium in ethnicos propagaverunt, atque iis, quum tantum opus esset peragendum,

---

6) Doenniges l. l. pag. 66. Flodoard. a. 951.
7) Ruotg. c. 19.
8) Pieler l. l.

bene et feliciter evenit, ut regeret episcopos, quippe qui archiepiscopus esset Coloniensis, vir illa ingenii acie, illa morum castitate pollens, a quo Germanis ad pietatem et probitatem reductis, Otto est assecutus, ut etiam Itali revocarentur.

Iam diximus in Brunone summi esse ducendum, quod neque, ut tunc nonnulli monachi Lotharii, humana sperneret et repudiaret neque, ut ii, qui tunc veterum scriptorum studia repetierant, prae humanis divina abiiceret. Ab illis monachis non est ecclesia regenerata, sed quasi fanatico errore tactis nonnisi nonnullae doctrinae et vitae formae sanitate carentes partae. Inerat quidem huic animorum motui verum aliquod et sanum, circumdatum tamen quasi cortice inscitiae et superstitionis. Brunonis tamen iam exposuimus nec moribus probitatem nec menti errorem infuisse; non cesserat in eo religio litterarum studio, nec litterarum lucem tenebris obscuraverat religio. Ut supra vidimus adolescentem pueri aetate vix superata imbuisse animum non minus scriptis divinis, quam sapientibus Graecorum et Romanorum libris, unde sapientiam peteret; ut vidimus deinde iuvenem in regia, quamquam refugientem a negotiorum profanorum strepitu, tamen studio indefesso incubuisse litteris, sic etiam spectamus archiepiscopum Coloniensem, quum vana specie contempta paupertatem divitiis, luxuriae inopiam praeferret, ardentem sciendi siti insatiabili quam lectis et sacrorum et profanorum scriptorum libris explebat.

Hac litterarum et religionis arctissima et gratissima inter se consociatione ad restitutionem ecclesiae et incipiendam et perficiendam Bruno prae ceteris fuit idoneus et quasi natus.

Primum quo melius clericos litteris erudiret, ex eius, cui apud Ottonem et discipulus fuerat adscriptus et moderator praefuerat, ludi exemplo duos Coloniae instituit, alterum minorem, alterum ampliorem. In illo ludo litterarum initia et septem bonae artes docebantur; quem si quis percurrerat et ad maturitatem quandam ingenii progressus erat, alteri, qui ab ipso Brunone regebatur, attribuebatur. In eo non aliter atque in Ottoniano ampliora quam rudimenta discipulis proponebantur, nec minus quam illa aut quae apud Carolum magnum floruerat, academia est appellanda. In hoc ludo Bruno praeceptoris munere acriore studio et prosperiore eventu utebatur, quam quisquam eorum, qui adolescentium circulis sese circumdederant virorum. Hic tam laetam, tam uberem indolem, quam iam pueri admirati sumus, eamque deinde Traiecti et in Ottonis aula diligentissime excoluerat, insigni cum splendore et summa utilitate exercebat, et auctoritatem, propter ingenii virtutem ei tributam, qua omnium animos movebat, non suo ipse commodo vertebat, sed solum saluti eorum, quos regendos et moderandos susceperat.

Ingenii praestantia et amplitudine scientiae, qua omnes res humanas amplectebatur, aequalibus minus eruditis quasi divino quodam spiritu afflatus videbatur, quo effectum est, ut obedientiam sese debere Brunoni arbitrarentur. Qua assidua diligentia nova addiscebat, qua dexteritate, benevolentia, constantia, quae sciebat, cum aliis communicabat, qua perseverantia et constantia amicos cohortari et incitare nunquam desinebat, plures in dies, ut litteris operam darent, stimulabat et in studiorum constantia confirmabat. Victus et habitus simplicitatis, quum gravissima dignitate ornatus inter pedisequos auro et purpura fulgentes incederet non nisi ovium pellibus vestitus; contemptionis cuiusve vitae commoditatis et dulcedinis, quum mollem, qua a pueritia assuetus erat toga, inferioris clerici vestitu permutaret; praestantis in cibo potuque abstinentiae, quum, ut ait Ruotgerus, nunquam plus victus sumeret, quam quantum ad vivendum esset necessarium; ab initio quidem non nisi admiratione discipulos afficiebat, mox ad aemulationem convertit.

Ita iam nonnullis annis post, quam Bruno Coloniam advenit, saltem aliquos viros videmus eadem sententia, iisdem in rebus gerendis moribus utentes, atque archiepiscopum. Hi magistro totos se committebant. Ut visi sunt ex Ruotgeri[9]) testimonio non solum una discentes et disputantes, sic etiam in bello una pugnantes; illos Bruno consiliis adhibebat, ne suo uni iudicio obsequens de recto fine declinaret; illos praeficiebat muneribus ecclesiae in iure constituendi magistratus nullius motus aut iudicio aut gratia; postremo etiam eos, a quibus res publicae administrarentur, ex illorum numero elegit.

Ita Balderico Leodiensi, quem a Reginaro pro Rhatero episcopum factum esse supra vidimus, mortuo CMLIV Everaclus successerat doctrina clarus, qui Bonnae antea fuerat decanus, apud Brunonem litteris studuerat et fidem virtutemque comprobaverat; Everaclus autem in Lobbe monasterio, cuius ad describendam clericorum corruptelam mentionem fecimus, Aletranum, virum probum et strenuum antistitem instituit, qui ad disciplinam, quae in monasteriis obsoleverat, revocandam multum contulit, eumque in munere Folcuinus successit, cuius eruditione iam convaluisse quodammodo monasterii mores declaratur. In Berengari Camaracensis locum Engermanus substitutus est, quem Bruno itinere facto ad negotia ducatus administranda in Francia occidentali cognoverat, adamaverat, mox ad gravissima munera administranda elegit. Ceteris autem praecellunt Theodericus, episcopus Divodurensis[10]), pro Alberico anno CMLXII mortuo institutus et Henricus Trevirensis, qui Ruodberto pestilentia

9) Ruotg. c. 37.
10) Conf. Sigeberti Gembl. Vit. Theoderici episcopi Divodur. Pertz p. 464.

peremto successit, nec minus clari sunt Gerhardus Tullensis, Wigfridus Virodunensis, Guilhelmus Moguntiacensis, multi alii viri egregii, quos e Brunonis ludo exiisse expressis verbis memoriae est proditum. Bruno et discipuli regnaverunt quodammodo in ecclesia, ut quibus gauderent aequales, posteri gloriarentur. A quibus Germanis quot bona elaborata sint, suspiciens Sigebertus Gemblacensis evocat: „Macte prosperitate aetas, qua tales viri rem publicam regerent, ecclesiam gubernarent, quietem et ordinem reficerent, pietatem renovarent[11]). Quum Bruno renovationem ecclesiae poneret in templis erigendis, in monasteriis emendandis et augendis, surrexerunt per totam Lotharingiam ea, quae ruinis strata iacebant; quae etiamtunc integra erant, amplificata sunt et ornata, nova aedificata, et, ne quid rei ad victum necessariae monachis deesset, amplis bonis ditata. Quum ita non negligeret corporum salutem, non minus severe observavit, ut normis in monasteria reductis continenter et caste viveretur. Gravissimis poenis affecit, si quis segnitiae et pigritiae indulgeret, non immemor dicti, ut ait Ruotgerus (c. 37): „qui non laborat non edat.“ Ne nimium putaveris a Ruotgero esse dictum neque a se neque ab alio, quae a Brunone condita sint monasteria enumerari posse. Unum appellat, sancti Pantaleonis[12]), prope Coloniam situm, in quo etiam Brunonis corpus est sepultum. Quod ab eo conditum est, quum una cum pallio sancti Pantaleonis corpus ab Agapeto secundo dono accepit. In claustrum in huius memoriam conditum cum antea tum in morte magna bona largitus est. Eadem autem cura qua huic instituto patrocinatus est, etiam ceteris eum consuluisse opinamur.

Omnia autem „saluberrimi studii monimenta perhennius in his ubi acta sunt locis, firmata perdurant, ita ut in laudem et gloriam Jesu Christi memoriam tanti viri nullam aetatem obscuratum iri in perpetuum iri patiantur“[13]). Postquam clericorum et monachorum et moribus et reliqua conditione correctis ecclesia renovata est, Bruno in plebem inscientia et stupore propter rerum perturbationem obrutam se convertit. Quo in suscepto arduo ecclesia summa officia ei praestitit. Facta enim est plebis dux et magistra et qui per Brunonem impertitus ecclesiae virus spiritus rursus omnium animos perflavit, effluit inde et penetravit usque in infimos mores mitigans et excolens, quo factum est, ut etiam bona commode tunc augerentur. Atque multa instituta, quibus plebi salus et humanitas afferretur, a Brunone habent originem[14]).

---

11) Sigebert c. 7.
12) Ruotg. c. 28.
13) Ruotg. c. 33.
14) Ruotg. c. 39.

4. Otto studens Francorum quoque occidentalium auctoritatem obtinere, ut ecclesiae etiam illic maxime perturbatae mederetur, anno CMXLVII Virodunum concilium convocavit. Abrogatus ibi est episcopatus Rhemensis Hugoni, redditus Arnoldo. Atque illi etiam Bruno interfuit[1]). Cuius quum tunc quidem in Francis momentum esset breve, tamen postquam episcopus Colonienses creatus est, gravissimum et paene perpetuum factum est. Nam quum propter Lothariorum ducatum, quem ipse paullo ante obtinuerant quemque non desierant invidere Germanis, tum propter et regis et potentissimi regiae gentis adversarii consanguinitatem commercium Brunoni cum Francis intercedebat assiduum. Primum quidem a rege et duce peculiarium rerum arbiter advocatus controversiam disceptavit. Tali autem arbitrio, quod exercebatur Brunonis studio, prudentia, constantia, necesse erat effici, ut Franci Germanorum iudicio paulatim magis parerent, et, quoniam Ottonis nomine Bruno quidquid gessit ad obsequium quoddam imperatoris adducerentur, eaque Francorum obedientia Hugonis et Ludovici morte, quibus viris certe navitas inerat, nonnisi aucta est. Iam ante diem V Idus septembres CMLIV Ludovicus equo deiectus perierat relicto tredecim annorum filio, cui hereditas obtingebat[2]). Tunc Hugo et potens et avarus, qui dignitatem iam superstite rege affectabat viduae et filio auctoritate infirmis regnum facile eripuit, nisi Bruno Carolingorum exstitisset servator. Ruotgerus expressis verbis dicit ascendisse in thronum Lotharium, Ludovici IV filium, praecipue Brunonis opera, scribens (cap. XXXIX): „Praeterea Lotharium, sororis suae filium, de antiqua regum prosapia ortum, quum a sobrinis suis vehementer esset oppressus, mirifice eruit et exaltavit nec cessavit, donec in locum patris sui constituit regem, ac maiores ipso potentioresque Hugonis filios omnesque illius regni principes sub iugum eius stravit.“ Consentit cum eo Flodoardus[3]), praeterquam, quod non, ut Ruotgerus principibus invitis sed volentibus Lotharium in regno sustentatum esse narrat. Scribit enim ille, cuius de rebus Franciae occidentalis fides est maxima, Lotharium adiutum favore Brunonis, Hugonis, ceterorum principum regnum esse adeptum et, quoniam legimus iam anno CMLV Lotharium una cum Hugone in Aquitaniam profectum esse, quin Flodoardus[4]) vera narret, non dubitamus. A Brunone suspicamur certissime, Hugonem esse permotum, ut regnum committeret Lothario, nec minus Lotharium, ut Aquitaniam concederet Hugoni. Etiamsi autem, quominus eriperetur

1) Flodoard. ad a. 947. Richeri histor. II c. 66.
2) Flodoard. a. 954.
3) Flodoard. a. 954.
4) Flodoard. a. 955.

regnum Caroli posteris, Brunonem vidimus impedivisse repulsa et Hugonis superbia et Reginari avaritia, tamen non perpessus est, ut viribus sua opere recuperatis per vim progrederentur et quod temporis longinquitate esset confirmatum, rescinderent. Ubicunque ius violari videbat, ei qui offendebatur, auxilio veniebat. De illa iustitia ut deflecteret neque suo commodo neque consanguinitate motus est. Quod enim CMLVI Gerberga et Lotharius Hugonis mortui, ut ducatum sibi vindicarent, petiverunt, non modo improbavit, sed impedivit[5]). Exercitu per Franciam ter usque in Burgundiones perrexit et eam, quae Hugoni paruerat, provinciam inter filios ita distribuit, ut Hugo, natu maior, cui postea Capeti cognomen additum est, Franciam, Otto, natu minor, Burgundiam et Pictavorum agrum acciperet, iuraret tamen, ne alteris utrius debita non obtingerent, in regis verba[6]). Ex his Brunonis institutis, qui per complura saecula historiae Gallorum esset cursus, pependit, quippe quibus Hugonis sive Capetingorum bonis prospectum est, ne divulsa interirent; Capetingi autem Caroli posteris etiam in Francia emortuis ad regnum pervenerunt. Lotharius et Gerberga iis, quae Bruno sanxerat, non modo non obsistere ausi sunt, sed tam promptis animis obsecuti, ut iam ante diem sextum Calendas Martias paschate CMLIX Coloniam profecti sese imperatori Lotharingiam nunquam non esse concessuros semel atque pollicerentur iterum[7]).

Ruotgerus nominatim dicit Franciae occidentali loco provinciae Brunonem esse praepositum; quod iure ac merito contendit. Quamquam enim Bruno illam non ut Lotharingiam suum ipse ducatum administrabat, neque solebat peculiaribus rebus sese immiscere, tamen praesides terrae sua voluntate, quo voluit, dirigebat, adeo, ubi salute populi posci videbat, vel singulas sacras et civiles res moderavit, inquieta sedavit, perturbata in ordinem reduxit. Ita exercitu in Franciam meridianam profectus principes nonnullos seditiosos ad obsequium[8]) redegit et Gerbergae precibus obtemperans Artoldo, de quo supra meminimus, mortuo Rhemis episcopum suo iudicio praeposuit.

---

5. „Te plane sospite si iucunde et ex integro fructus fuero, ut mens mea semper flagitat, desiderium postulat, animus implorat: tum dignitas, tum gloria, tum decus aderit.“[1]) Haec elocutus verba, quibus exprimitur ardentissimum desiderium redeundi ad Brunonem, Otto Moguntiaco abierat. Quod rex in

5) Flodoard. a. 955.
6) Flodoard. a. 958—960.
7) Flodoard. a. 959.
8) Richeri hist. l. III, 11 u. 12. Flodoard. ad a 959—60.
1) Ruotg. c. 19.

summo illo discrimine exoptaverat, victoria de seditiosis parta iam assecutus est, et etiam gloriam et splendorem, quem ex illa victoria sibi eventurum esse speraverat, erat adepturus.

Vidimus Ottonem primo duces ex singulis gentibus ortos ut Carolingos de industria e muneribus summovisse et propinquis ut Conrado et Ludolpho ducatus tradidisse[2]. Tanta autem seditione ab illis excitata ad aliam sententiam traductus est. Sequens patris regnandi modum restituit duces e nationibus ortos, ut Henricum Arnulphi saltem nepotem, Burkhardtum Alemannorum stirpi attributum, Hermannum Saxoniae principem, Fridericum et Godefridum Lotharios. Qui ne nimiam potentiam sibi arrogarent, maioribus opibus ecclesiam circumdedit, quam voluit omnium animos regentem gratia posteris obligatam ubique imperatoris esse sociam.

Quod a quo censes Ottoni suasum esse nisi a Brunone?

Relicta singulis tribubus quadam libertate suaeque gentis ducibus, quum, ne nimis cresceret ducum potentia, ecclesiae auctoritate praecavisset, in Germanis pax per longum tempus sustentata est.

Viri autem, quos et praestituros esse speraret imperator suis successoribus fidem, et auctoritate animos hominum recturos, quippe quos erudirent et expolirent, in Brunonis academia reperti sunt, ita ut ab illo suppeditaretur et consilium et quibus efficeretur subsidia. Atque ecclesia ita hominum animos et ad humanitatem et ad regis obsequium assuefecit, usque dum Henrici IV aetate desertis officiis, quae ad hominum animos pertinent, ad bona acquirenda se convertit. Ita singulis et separatis tribubus in unum contractis facultas regi facta erat recuperandi itinere in ipsam Italiam facto id, quo ab Arnulfi temporibus Germani reges caruerant, diadema.

Quum Otto in Italia vetus imperium Romanum renovaret, in Germania summa rerum stetit penes Brunonem. Quem iter in Italiam parans imperii administratorem fecerat et cunctis imperatoris muneribus ornaverat. Guilhelmum filium, qui post Friderici mortem Moguntiaci episcopus factus erat, auxilio ei attribuerat, praeterea Ottonem filium, qui in principum concilio Borbetomagi habito iam successor erat designatus, custodiendum et educandum mandaverat[3]. Interfuerat quidem iam antea Bruno, quamquam Lotharingiam administrans et Francorum occidentalium controversias disceptans negotiis ad regnum pertinentibus et semper atque ubique, ut ait Ruotgerus[4], cum Ottone curarum regni partem ceperat, ut potius ambo fratres

2) Doenniges a. a. c. pag. 68 cum adn. 6, 7, et pag. 69 cum adn. 1.
3) Ruotg. c. 41.
4) Ruotg. c. 39.

regnarent; sed usque eo Bruno imperatori nonnisi consuluerat, potestas vere regia exsequendi consilia Ottonis fuerat; tunc ne potentia quidem regia aut splendore caruit, quibus quanta sapientia usus sit, summa tranquillitate, qua quinque per annos Germanos rexit, declaratur[5]).

Incarnatione Iesu Christi etiamtunc Ticini celebrata Otto statim ab initio CMLXV in Germaniam contendit. Salutavit eum in Alemannia Burkhardtus, deinde Guilhelmus archiepiscopus, denique cum Brunone Borbetomagi obviam facto imperator ieiunia et pascha eo anno ante diem VI Calendas Apriles celebrandum Ingelheimii peregit. Inde navi Coloniam pervecti sunt. Illuc autem coierant etiam Mathilda, grandaeva Ottonis mater, Gerberga, regis soror cum Carolo et Lothario filiis, Ottonis filia, Henricus Bavarus, fratris filius, et omnes illustris gentis cognati[6]). Mutuo alter alterius desiderio compulsi et eximia, inquit is[7]), qui Mathildae vitam descripsit, Dei benignitate congregati; non enim postea unquam consanguinei Deo dilecti ita congressi sunt. Illuc etiam multi principes et sacerdotes Ottoni gratulabundi convenerunt et tantam magnificentiam et splendorem conduxerunt, ut Ruotgerus admiratione motus evocat[8]): „Constat enim nullum aliquando locum tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum aetatum, ordinum floruisse.“ Dum rex et mater, frater et sorores, filius fratris et sororum filii una in Brunonis palatio versantes, quod alter alterum revisant, quod Deus imperatorem in Italia custodiverit et in victoria et diademate adipiscendis adiuverit, laetantur, accessit etiam Baldericus, senex Brunonis magister, benedixit universae familiae Deo gratae, et ad Mathildem reginam conversus: „Laetare, inquit, augusta regina, quam Deus tantis bonis decoravit. Nunc liberos vides et nepotes. In te cernitur, quod cecinit psalmista: „Et aspicies liberos et liberorum liberos“[9]). Paucis diebus post ii, qui regiae stirpis convenerant discesserunt. Otto in Saxones est profectus et ex matris invitatione complures dies Nordhusae peregit[10]). Bruno primum quidem Coloniae commoratus sicut pridem ducatus saluti atque ordini patrocinatus est.

Paucos post menses Brunonem videmus rursus Franciae occidentalis negotia perpetrantem[11]). Ubi dissidium ortum inter sororis filios erat dirimendum. Valetudine iam ante iter paullum afflicta non deterritus est, quin viam faceret; et iterum

5) Ruotg. c. 41 ult.
6) Cf. supr. I, 1. et adn. eo pertinentes ab 1—6.
7) Vit. Math. c. 14.
8) Ruotg. c. 42.
9) Ruotg. c. 42 et vit. Math. c. 14. vit. iun. 22.
10) Vit. Math. c. 14.
11) Ruotg. c. 43.

propinquorum rixosorum amicitiam restituit. Sed ingravescente malo iam Compendii, quominus viam continuaret, prohibitus est. Winfridus episcopus hospitio eum honoravit. Qui quum interrogaret, quo morbo affligeretur, finem appropinquantem praesagiens, summa cum suavitate Deique obsequio: „non subito, inquit, tangor morbi impetu aut malo praetereunte, sed universum corpus dissolvitur". Et indicant quoque, quae Ruotgerus de morbi natura et cursu tradidit, occubuisse eum tabe vires tarde consumente[12]).

Ea tranquillitate, qua solum eorum animus delectatur, qui se placatos esse sciunt cum Deo, Bruno constanter mortem appropinquantem praevisit et, postquam Theodericum et Fridericum et quos alios arcessiverat adhortatus et consolatus est, deinde notario adhibito, qua superstes usus erat singulari mentis acie, testamentum nuncupavit; animo ad Christum confugiens ante diem V Idus Octobres tranquille et suaviter decessit.

Corpus mortui, quemadmodum praescripserat, Coloniam translatum est, et quocunqe portabatur, laudibus efferebant archiepiscopum optime de imperatore et imperio, de regibus et principibus, de re publica et ecclesia, de universo populo meritum[13]). Corpore in ecclesia sancto Petro consecrata ad spectandum proposito et testamento recitato et ab episcopis, qui morti affuerant, quidquid aliud sanxerat, nuntiato, membrorum reliquiae innumerabili multitudine hominum, qui nuntio lugubri comperto ex tota Lotharingia confluxerant, prosequente in Pantaleonis sacellum, prope Coloniam ab ipso conditum, data sunt[14]).

Et aequales et posteri Ottonem adscripserunt numero eorum virorum, qui prae ceteris nomine magno insignirentur. Quod adeptus est consiliis praeclara sapientia excogitatis et constantia perpetratis. Inde ab Ottone gens nostra quasi populi corpus principatum inter reliquas occidentis nationes petere coepit, ab Ottone consilium illud vetus et Christianae doctrinae affine, ex quo omnes ab uno regi consentaneum est, quasi in succum et sanguinem recepit; ab illo ad novum quendam cursum et incrementum papis stimulus admotus est, ut quum pravitate obruti iacerent, ad dignitatem resurgerent; cum illo quasi illuxit novus ingeniorum culturae dies, ut non iam Italia esset eruditionis sedes, sed propagaretur humanitas in infimam Europae partem ad eum, ex quo Otto ortus erat populum, qui litterarum principatus ex illo tempore nunquam Germanis ereptus est.

Sed Ottonis regnum sive introrsus sive extrorsus intuemur, sive renovationem ecclesiae et felicem in litteris eventum, sive

---

12) Ruotg. c. 43.
13) Ruotg. c. 45.
14) Ruotg. c. 48.

permutationem in mutua hominum consuetudine factam contemplamur, non nisi exsecutus est, quae invenit Bruno, cuius et in studendo litteris et ecclesia moderanda et in civitate regenda tantam sapientiam tot facta cognovimus. Vix credibile est fieri potuisse, ut Otto perveniret eo quo pervenit, praestaret domesticis, alienigenis, universae culturae, quod praestitit, nisi cui Bruno adstitit. Frater, quanti sibi esset, ab Ottone ipso putamus persensum et intellectum, cum diceret, quod supra commemoravimus: Fratris gloria sit sua, ipsius fratris[15]).

---

15) Ruotg. c. 19 et 41 ult.

SCRIPTORIS VITA.

Carolus Fridericus Schulze a d. VII. Cal. Apriles MDCCCXLI natus sum Sangerhusae, unde pater ad munus in re vehiculari regia vocatus mox Numburgum migravit. Litterarum elementis scholis privatis imbutus gymnasium Foertschio rectore florens adii, quod praematura patris carissimi simulque nutritoris morte inprimis coactus reliqui, ut magistri privati munere fungerer et ad superandum iuvenum in academiam abeuntium examen proprio Marte me praepararem. Miseria vitae meae multum aucta est quod casu lugubri obcaecatus nescirem quid agerem. Sed autumno a. MDCCCLXI scholae Nicolaitanae Lipsiensis testimonio maturus iudicatus qui ad altiora studia ascenderem, trium virorum generosorum benevolentia magnopere adiutus sum, inprimis illustrissimi medici a sanitatis consiliis doctoris medicinae Arthuri Lutze Cothenensis, deinde illustrissimi Adolphi Schottmuelleri professoris Berolinenis et doctissimi Richardi Goschei professoris nunc Halensis, qui plurima tam ad animi morumque culturam quam ad vitae supellectilem tribuerunt, ut de me non desperans vere a. MDCCCLXII facultati philosophicae universitatis litterarum Berolinensis adscribi possem, cuius tunc fasces Ill. Magnus tenebat, ibique per novem semestria morari. Inprimis scholis interfui historicis, res germanicas saeculi VIII, IX Xque indagaturus. Audii non solum Leopoldum de Ranke Koepkiumque et Droysenium de historia medii aevi, de revolutionibus rerum francogallicarum anglicarumque et de historiae encyclopaedia atque methodo disserentes, sed etiam ut res sacras et civiles accuratius perspicerem, Heydemanni Franciscique de Holtzendorff lectiones de iure naturae et gentium, Gneistii de rebus publicis Angliae, Weingartenii de historia ecclesiastica medii aevi itemque Goschei de historia litterarum. Exercitationibus historicis, quas Koepkius moderabatur, interfui, neque philosophiam neglexi, cuius praeceptores Trendelenburgius in psychologia, Micheletius in anthropologia et logica mihi exstiterunt; inprimis autem Kantii libris studui.

His aliisque scholis praeparatus iam spero ut summi in philosophia honores in me conferantur, et occasione oblata facere non possum, quin omnibus viris optime de me meritis gratias agam quam maximas.

SENTENTIÆ CONTROVERSÆ.

1) Omnem ingeniorum culturam medii aevi ex clericis pendere.

2) Henricum primum in rebus Germanicis Ottoni magno esse anteponendum.

3) Falso Thietmarum narrare regnum a Brunone Hugoni oblatum esse.

4) Ruotgero in omnibus quae narrat de Brunone fidem habendam esse.